PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. XLIX 1960 - FASC. I



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

56833

v.49
1960

IMPRIMI POTEST

Romae, die 26 Decembris 1959

P. Paulus Muñoz Vega, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 30 Ianuarii 1960

Archiep. Caesarien. Vic. Ger.
† A. Traglia

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

PII XII ALLOCUTIO D. D. 9. DECEMBRIS 1957

COMMENTARIUS

1. Mense Decembri 1957 ex 25 Nationibus omnium CONTINENTIUM Romae convenerunt Superiores et Superiorissae Maiores « *Statuum perfectionis* », sive Religionum sive Institutorum Saecularium ad constituendum « II. Conventum Universalem Statuum Religiosae Perfectionis ». Finis CONVENTUS fuit deliberare, quomodo « Status Perfectionis » suas organisationes et activitates semper magis adaptare valerent ad necessitates Apostolatus hodierni et ad exigentias Ecclesiae. In hunc scopum programmate Conventus multa particularia discutienda et stabiliendaproposita sunt. Filum et lineam « orientationis » Conventus sibi proposuit quattuor DOCUMENTA S. Sedis:

I. Const. Apost. « *Provida Mater* » d. d. 2 Febr. 1947, De Institutis Saecularibus; (AAS., 1947, pag. 114-124)

II. Const. Apost. « *Sponsa Christi* » d. d. 21 Nov. 1950, De sacro Monialium Instituto promovendo; (AAS., 1951, pag. 5-21)

III. Const. Apost. « *Sedes sapientiae* » d. d. 31. Maii 1956, De principiis sequendis per tendentes ad Statum acquirendae pefectionis religiosae; (AAS., 1956, pag. 354-365)

IV. S. Congr. de Religiosis Decretum « *Salutaris atque* » d. d. 26. Martii 1956., Normae quoad conventus de accommodota renovatione Statuum perfectionis; (AAS., 1956, pag. 295-296).

2. Ad hunc CONVENTUM UNIVERSALEM Pius XII Allocutionem habuit d. d. 9. Decembris 1957, cuius textus publicatus invenitur in AAS., 1958, pag. 34-43; et in hoc folio periodico anni elapsi (Vol. 47, 1958), pag. 93-108. Pius XII ante et post hanc Allocutionem plures habuit Allocutiones ad religiosos et religiosas, publici iuris factas in AAS. — Huius autem Allocutionis d. d. 9. XII. 1957 *Commentarius* nunc tandem (elapsis fere duobus annis) conscribitur et publicatur; deliberato consilio usque nunc dilatus est, sciente et consentiente Pio XII. Experientia enim teste, stante sententiarum et affectionum diversitate, per interpositum temporis intervallum, idest per « distantiam » a momento sermonis habiti, meliores creantur aequilibrati iudicii atque placati affectus condiciones. At, ne uno quidem anno elapso, Pius XII e vita cessit. Nihilominus ex ipso, adhuc superstite et explicite interrogato, indubie certum reddi potuit: Allocutionem diei 9. Decembris 1957 talem, qualis fuerit prolata, ex mente et voluntate Sancti Patris in pleno valore perstare, neque quidquam in ea per subsequentes de eadem materia sermones, in specie per Allocutionem d. d. 11 Febr. 1958 ad Moderatores Generales Ordinum ac Sodalitatum, (AAS., 1958, pag. 153-161), esse revocatum aut modificatum.

Haec animadversio in rigore est superflua. Plures Allocutiones de eadem materia per se coexsis-

tunt, nisi ipse Pontifex contrariam voluntatem publici iuris fecerit. Talis autem voluntas Pii XII relate ad Allocutionem die 9. Decembris 1957 publici iuris facta non est. Ergo haec Allocutio perstat in pleno valore. — De pluribus de eadem re Allocutionibus « norma iuris » non habetur; sed per quandam analogiam provocari potest ad normam canonis 22 de pluribus de eadem materia *legibus,* sese subsequentibus: « Lex posterior, a competente auctoritate lata, obrogat priori: si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam ». De Allocutione diei 9. Decembris 1957 non habetur subsequens Allocutio, in quibus vel una ex tribus canonis 22 condicionibus sit verificata; ergo materia huius Allocutionis non est nec abrogata, nec derogata, nec modificata; sed perstat in suo valore. Sunt tamen qui censuerint et censeant haberi Allocutionis diei 9. Decembris 1957 quandam derogationem vel notabilem immutationem per Allocutionem Pii XII « Ad Moderatores Generales Ordinum ac Sodalitatum » d. d. 11. Februarii 1958, (AAS., 1958, pag. 153-161). — Ideo ad praecavendas vel finiendas inutiles discussiones interpellare necesse fuit immediate ipsum Summum Pontificem quod attinet ad coexsistentiam et relationem duarum harum Allocutionem. *Substantia* materiae, in una et in altera tractatae, est eadem; at materia unius non simpliciter coincidit cum materia alterius. *Modus* insuper concipiendi et loquendi in una et in altera Allocutione habent suam indolem propriam, ex parte sat differentem. Qua propter necessarium fuit confrontare coram ipso Pontifice

has discrepantes assertiones, et petere Pontificis decisionem. *Pontifex utramque Allocutionem in propria sua indole sustinuit et valere voluit.* Ulterius, et explicite, interrogatus, numquid mens sua fuerit vel sit, saltem aliquibus propositionibus Allocutionis d. d. 9 Decembris 1957 substituere propositiones ex Allocutione diei 11. Februarii 1958, respondit: alienum esse a se aliquid substituere; sermonem ad « Status Perfectionis » in AAS. publicatum iri, et quidem in integra forma, qua habita sit, et nil valoris ab ea auferri.

Haec, de interpellatione Pii XII hic dicta, cum nullo modo sint publici iuris facta, valorem non habent nisi mere privatum; unicuique ideo liberum est ea admittere vel ea neglegere, et solummodo attendere ad id, quod supra ex normis Canonis 22 deductum est. — Relator id, quod de interpellatione et responsione Pontificis narratur, admittit; quia ei persuasum est, quod correspondeat rerum veritati.

3. Omissis particularibus, quae liberae in sectionibus et sessionibus Conventus relinqui voluit, Pontifex *Thema* Allocutionis sibi elegit « certa puncta characteris generalis » (seu de « principiis » agere statuit): primo de *interna natura* perfectionis vitae christianae; dein de *realisatione* huius perfectionis in associationibus quas « Status perfectionis » vocare solent, et quas sub triplici respectu considerare sibi proposuit: 1) sub respectu relationis quam « Status Perfectionis » habent ad *propria membra* quibus constituuntur; 2) sub respectu relationis, quam « Status perfectionis » *ad invicem* habent; 3) sub respectu rela-

tionis quam habent ad *Sedem Apostolicam* (in particulari ob speciales vociferationes ad ipsam *Personam Summi Pontificis*).

Hanc materiae dispositionem Allocutio his verbis delineat: « Nous parlerons d'abord de la perfection de la vie chrétienne en général, ensuite de sa réalisation dans les groupements qu'on appelle " états de perfection ", en considerant d'abord les relations qu'ils ont avec leurs membres, puis celles qu'ils ont entre eux et avec le Saint-Siège », (AAS., 1958, pag. 35).

I Pars.

De interna natura perfectionis vitae christianae

4. Expositio initium sumit a stabiliendo principio fundamentali: « perfectionem », sensu stricto sumptam nec conceptu nec re identificari cum « Statu perfectionis »; sed perfectionem christianam heroicam eamque Evangelii, eamque Crucis Christi inveniri posse extra omnem « Statum perfectionis », (sive Religionis sive Instituti saecularis). Ex quo fundamentali principio duo deduci debent: 1) non potest esse Status perfectionis, in quo vel unum elementum constitutivum « perfectionis christianae » deest; 2) non potest ad ullum Statum perfectionis, tamquam elementum ipsius « perfectionis christianae » indispensabiliter requiri, sine quo heroica perfectio christiana vitae consiliorum evangelicorum verificari potest et verificatur.

5. *Interna natura perfectionis christianae* in Allocutione describitur: animae christianae ultra omnem sub peccato obligationem tendentia, unio

et adhaesio ad Deum per charitatem. Ascendit ergo « perfectio » ad super-obligatoria et supererogatoria; facit hominem christianum se mancipare « totum » Deo et Christo, (Dei et Christi servitio), *tamquam sui ipsius holocaustum.*

Haec perfectio complectitur « consilia evangelica ». — Ut « *perfectio christiana* » complectitur in primis ipsum *Christum,* complectitur Christi verba, vitam, passionem et crucem; complectitur « opus Christi », idest Ecclesiam. Christi vita, passio, mors sunt inexhauribiles fontes, ex quibus omnium generationum christianarum *heroismus* se nutrit et alit. Hic heroismus, ex Christo haustus, impellit ob amorem Christi etiam ad indefessum servitium Ecclesiae in Apostolatu; loco et modo, quem Dominus unicuique in suo Corpore Mystico assignat.

6. *Christi verba* intellegi debent in campo « perfectionis christianae », sicuti in campo « vitae christianae » communis, idest in *senso obvio* quem habent in se, in contextu, in harmonia cum aliis verbis Christi, nam verba Christi se invicem dilucidant et complent. Eorum sensus non debet neque extolli neque deprimi; non debet subici exegesi ad privatum alicuius gustum ac beneplacitum, quantumvis pium, sed ad mentem et doctrinam Ecclesiae, cui uni est authentica Scripturae interpretatio.

Christi *vita, passio, mors* hic non attenduntur, in quantum fuerunt Christo personaliter destinata et quodammodo reservata, sed in quantum sunt *exemplar imitationis.* Hoc exemplar, etsi in se est unum et semper idem, tamen pro sua plenitudine

fuit et est imitatione multiplex et diversissimum; per unam imitationis formam exhauriri non potest neque potuit. Unde etiam « perfectionis christianae » imitatio Christi est multiplex et diversimoda, specifica (vel etiam individualis): forma imitationis unicuique nota fit inprimis per internum Dei lumen, dein per propriam cum gratia divina deliberationem, tandem per adiuncta quoque externa, in quibus quis per Divinam Providentiam est positus.

7. Essentiae « perfectionis christianae » *realisatio* vel *actualis exsistentia* obtineri potest et obtinetur, tum intra tum extra STATUM PERFECTIONIS. Ambitus et numerus STATUUM PERFECTIONIS notabiliter auctus fuit Constitutione Apost. « Provida Mater » (d. d. 2. Februarii 1947), qua formaliter introducta fuerunt « INSTITUTA SAECULARIA », ut per ea satisfieret tum obiectivis huius temporis exigentiis, tum ut serio multorum hominum desiderio, qui ad plenam « perfectionem christianam » anhelant ac totos se Dei servitio in imitatione Christi mancipare statuerunt, respondeatur. At hi homines « RELIGIONI » nomen dare vel « Religiosis » adnumerari decise recusabant.

In Constitutione Apost. « Provida Mater », portis ad STATUTA SAECULARIA latissine apertis, horum hominum illorumque mentalitatis, lata mente et corde, ratio habetur: quoad rem, quoad verba et terminos, quoad structuram iuridicam; nolunt enim vocari « religiosos » neque ad « religiosorum » typicas externas formas vivendi et se gerendi adstringi. Haec eorum a forma « RELIGIONIS » declinatio (sive in intellectu sive in affectu,

sive in utroque simul) in aliquibus individuis habet fundamentum, quod cum « perfectione christiana » componi nequit, — (sapit enim compromissum cum « *mundo* », et huius « mundi » commoda et oblectamenta sibi reservare vult) —; hi attendi non debent. In aliis autem, qui sunt aeque pii atque « Religiosi », qui sincere ad perfectionem tendunt, fundamentum « declinationis » est aliud, genuinum et solidum. Sentiunt hi et censent: *Apostolatum,* ut his temporibus satisfaciat, exigere — (salva semper substantia « perfectionis christianae ») — nimis profundam mentis actionisque modificationem et adaptationem, quae in « Religione » (tum Ordinis, tum Congregationis) sperari et peragi vix queat. Secundum illos « Religiosi », in specie antiqui Ordines, nec volunt nec possunt illam requisitam profundam metamorphosim subire, quia haec metamorphosis ipsis necessario apparere debeat apostasia a genuino sui Ordinis spiritu ac quasi « suicidium »; iis ex eorum mente et affectu — (et quidem iuxta illos aliter sentientes: iusto iure) — sacro-sanctum esse illud de sua indole typica verbum et inscriptionem: Sint ut sunt aut non sint! De iisdem autem haec allegata pars adversa, aeque pia et sincera, persuasum habet potius dicendum esse: aut sint ut non sunt, aut non sint! — Hae duae partes quoad allegatum punctum controversum non possunt iunctis manibus procedere et una agere, interne negantes quod sentiunt; possunt tamen fraternam quandam Apostolatus sociationem, sensu quodam heterogenam et distantialem inire et se invicem iuvare; (et sic persaepe de facto agunt).

Ad profundam INSTITUTORUM SAECULARIUM notitiam haud parum confert: eorum genesim et historiam a primis initiis — (decenniis ante Const. « Provida Mater ») — ex factis historicis scire, quae nec in documentis officialibus neque in Archivis SS. Congr. Concilii vel Religiorum consignantur. Haec notitia et consideratio facit pondus et momentum melius librare quod INSTITUTA SAECULARIA in evolutione « Statuum Perfectionis » habent. Exhibent eximium opus Providentiae Divinae, quae in Ecclesia *Nova* exsurgere facit, quando *Nova* sunt necessaria. Ordinibus et Congregationibus in campo « perfectionis christianae » promovendae nec Sapientia nec Potentia Dei fuit exhausta; ad semper nova Deus procedere potest et procedit; neque tamen ideo « tradita » (quae eo usque iam fuerunt) Christus abicit; sed et « *tradita* » et « *nova* » simul esse vult in sua Ecclesia, ut Apostolatui animarum prosint, unumquodque secundum indolem suam.

8. His de INSTITUTIS SAECULARIBUS dictis, ad speciale huius primae partis Thema redeundum est.

Publicatio Allocutionis paulum dilata fuit.

Generatim Allocutiones publicantur in L'Osservatore Romano vespere eiusdem diei — (nisi fuerit Dominica) —, quo habitae sunt. Haec Allocutio habita fuit Feria II, die 9. Decembris; publicata tandem fuit (post tres dies) Feria IV, die 12 Decembris, (L'Osservatore Romano, Nr. 288). At hoc die publicatus est Allocutionis textus originalis, nullatenus mutatus vel modificatus; et hic textus originalis insertus est in Act. Ap. Sed.

Ratio dilationis fuisse videtur Pontificis con-

scientiosa retardatio ad vim observationis quorundam examinandam, quibus non primo aspectu et lectu innotuit determinatae sententiae enuntiatae sensus ac veritas. Quae sententia fuit haec:

> « Nous pensons en ce moment à tant d'hommes et de femmes de toutes conditions, qui assument dans le monde moderne les professions et les charges les plus variées et qui, par amour de Dieu et pour le servir dans le prochain, lui consacrent leur personne et toute leur activité. Ils s'engagent à la pratique des conseils évangeliques par des voeux privés et secrets, connuus de Dieu seul et se font guider, pour ce qui regarde la soumission de l'obéissance et la pauvreté, par des personnes, que l'Eglise a jugées aptes à cette fin, et à qui elle a confie la charge de diriger les autres dans l'exercice de la perfection. Aucun des éléments constitutifs de la perfection chrétienne et d'une tendance effective à son acquisition ne fait défaut chez ces hommes et ces femmes: ils y participent donc vraiment, bien qu'ils ne soient engagés dans aucun état juridique ou canonique de perfection »; (AAS., 1950. pag. 36).

Haec argumentatio sic breviter comprehendi potest: Ubi elementa constitutiva rei habentur, ibi habetur res; atqui in casu habentur elementa constitutiva « perfectionis christianae », ergo habetur « christiana perfectio ». In nihilo contra hanc argumentationem fuit obloquendum. Quod Allocutio dein habet de praestanda ad oboedientiam et paupertatem necessaria submissione, nec suppletione nec praecisatione indiget.

Hanc dein argumentationem fere ad verbum Pius XII repetiit, approbavit, confirmavit in nuntio radiophonico d. d. 19. Julii 1958 ad « Moniales contemplativas »; sed ultra procedens eam extendit ad perfectionem christianam in *vita contemplativa* verificandam; quam item fieri posse extra

omnem « STATUM PERFECTIONIS » explicite declarat. Concludit enim suam ad « Moniales » expositionem his verbis: « Une telle forme de la vie contemplative n'est pas ignorée de l'Eglise, *qui lui accorde son approbation de principe* »; (AAS., 1958, pag. 566-567).

9. In Allocutione diei 9. Decembris 1957 praeter ea, quae iam memorata sunt, ansa cuiusdam « admirationis » (vel etiam « scandali ») fuit *casus*, ad quem Pontifex doctrinam de realisatione perfectionis christianae in « mundo » — (idest: extra omnem STATUM PERFECTIONIS) — applicavit, scl. casus applicationis ad hominem, in alta positione sociali vel politica positum, qui, postquam se totum mancipavit Deo, et normam vivendi iuxta consilia evangelica, votis firmata assumpsit, suis condicionibus necessitatur vivere in mediis divitiis et festis mundi. Pontifex relate ad hunc hominem non retractat nec modificat suam thesim, sed eam tenet et confirmat.

> « S'ils occupent un rang social élevé et de plus hautes charges. Ne sont-ils pas contraint alors de s'entourer d'un certain appareil d'aisance, de participer à des fêtes officielles, d'utiliser des moyens de transport coûteux: toutes choses qui paraissent difficiliment conciliables avec le souci constant de mortification de quiconque désire suivre et imiter le Christ pauvre et humble? Et portant, au milieu des biens matériels, ils s'écartent en rien de l'entière consécration d'eux-mêmes à Dieu et ne cessent d'offrir au Seigneur un holocauste sans réserves. Telle est l'oeuvre de la grâce qui opère dans l'homme selon la parole du Christ: Ce qui est impossible aux hommes, est possible a Dieu » (AAS., 1958, pag. 36-37).

Quae hoc loco dicuntur, sunt de casu omnino exceptionali. Similia tamen, gradu quidem mino-

re, quamvis quoad substantiam eiusdem indolis, hodie inveniuntur in aliquibus INSTITUTIS SAECULARIBUS, a S. Sede approbatis. Quoad externum modum agendi et se gerendi circa bona materialia in aliquibus his Institutis est grandis latitudo et libertas, ita ut difficile sit dicere hanc externam vitae formam exhibere paupertatem pauperis Domini qui non habet, ubi caput reclinet (cf. Mat. VIII, 20). At nemo asserere ausus fuerit, membra huiusmodi INSTITUTI SAECULARIS deficere a mente, ab affectu, ab interna vita eaque heroica verae et genuinae perfectionis christianae » ... Valet Christi verbum: Impossibile apud homines, sed possibile apud Deum; (cf. Lc. XVIII, 27).

10. Allegatus in Allocutione d. d. 9. XII. 1957 *casus* (AAS., 1958, pag. 36) quoad « paupertatem », (intuitu cuiusvis « perfectionis christianae consiliorum evangelicorum » indispensabiliter necessariam), ad has ducit conclusiones:

1) Distingui debet « paupertas » et « usus paupertatis ». *Paupertas* intellegitur: per votum paupertatis (vel per aliud medium efficax) ablata libertas et independentia circa bona materialia, et eius loco stabilita ligatio et dependentia a competente persona superiore. — *Usus paupertatis* est *actualis carentia* bonorum materialium (seu quaedam forma maioris vel minoris *egestatis*). Ad quamlibet formam « perfectionis christianae », « consiliis evangelicis ornatam », indispensabiliter requiritur « PAUPERTAS », prout modo definita est; non requiritur « usus paupertatis »; (quod ex allegato *casu* elucet). St. Thomas, II-II q. 188 a. 7

in corpore dicit: « habere aliquid *proprium,* perfectioni repugnat religionis, ... habere autem de rebus exterioribus in *communi* ... perfectionem religionis non impedit ». — Sunt hodie: Ordines, Congregationes, Instituta saecularia, in quibus membra aliquid *proprium* habere possunt.

2) Si in determinata RELIGIONE aut INSTITUTO SAECULARI « paupertas », vi voti assumpta, multo plus exigit quam illud minimum modo descriptum, hoc est ex speciali titulo *huius* paupertatis et *servari* debet in respectiva Religione vel Instituto. — « Mitigatio » huius severioris paupertatis derivari non potest ex minore severitate illius paupertatis, in omni forma perfectionis christianae requisitae quidem, sed etiam sufficientis. Sed neque ex altera parte ex severiore forma alicuius paupertatis specialis derivari quit aggravatio paupertatis *generalis,* in *omni* forma perfectionis christianae postulatae.

3) Interna mens et interna voluntas circa paupertatem discrepare potest ab externa paupertatis forma. Paupertas severior externa iuncta esse potest cum affectu interno inferiore; et paupertas externa minus perfecta iuncta cum paupertatis voluntate interna heroica.

4) Normae, hoc loco de « paupertate » et de « usu paupertatis » positae, sunt normae et iuridicae et asceticae; respiciunt exsecutionem externam et, (idque magis), mentem internam; diriguntur ad hominem vere pium et religiosum, sed simul ad virum sobrii et sani iudicii. (Cf. Wilh. Bertrams, S. J. « De publicitate iuridica Statuum

Perfectionis in Ecclesia » (« Periodica de re morali etc. » 1958, pag. 115-165; brevis conspectus pag. 160-165).

Pars II.

De Statibus Perfectionis (AAS., 1958, pag. 37)

11. Status perfectionis, ad quos II Pars Allocutionis dirigitur, sunt Status religiosus (« Religio ») et Institutum saeculare. Hoc eruitur ex contextu sermonis et ex membris, actu praesentibus, in hoc « II. Conventu Universali Statuum Religiosae Perfectionis ». — Nec Status religiosi nec Instituti Saecularis notio a Pontifice datur; nota supponitur; expedit autem hanc lacunam supplere ad praecavendas infestas animadversiones et deductiones. — In Cod. Iur. Can. « Status religiosus » (« Religio ») describitur: « Societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, in communi vivendi modum tenentes, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda, per vota publica oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, atque ita iuxta proprias ipsius societatis leges, ad evangelicam perfectionem tendunt »; (cf. Can. 487 iunctim can. 488 n. 1). — « Institutum saeculare » intellegitur: « Societas, clericalis vel laicalis, cuius membra, christianae perfectionis adquirendae atque apostolatus plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur, et quae, ut ab aliis fidelium communibus Associationibus apte distinguatur, Instituti saecularis proprio nomine ve-

nit, atque Constitutionis Apost. « Provida Mater » normis subicitur »; (cf. Const. Apost. « Provida Mater », Articulus I, AAS., 1947, pag. 120). — Sunt ergo in Ecclesia praeter hos duos « Status Perfectionis » aliae piae Associationes, Uniones, religiosae vivendi formae sociales; ad has omnes Allocutio non dirigitur neque attendit. — Dirigitur autem ex intentione Pontificis ad *omnes* STATUS PERFECTIONIS, unius et alterius generis. Unde deducitur: 1) intuitu Allocutionis non potest efferri et urgeri, quod uni vel pluribus ex Statibus Perfectionis est « *proprium* », sed solummodo quod omnibus est *commune;* 2) id quod uni vel pluribus STATIBUS est « proprium », non potest ingeri in interpretationem Allocutionis, sensum eius sive dilatando sive coarctando, quippe quae vult esse, et est, omnibus communis); 3) nec viceversa: in illud, quod revera est *proprium* uni vel pluribus ex STATIBUS, non potest effatum Allocutionis inferri, ut hoc « proprium » modificet, sive elatando sive coarctando; « proprium » enim illud, quia est proprium, est extra statum quaestionis huius Allocutionis. — Sed si id quod dicitur « proprium », non est « proprium », sed est elementum omnibus Statibus Perfectionis « commune », effatis et doctrina Allocutionis tangitur atque afficitur et eatenus « interpretationem » et « mensuram » ex Allocutione sumendam habet.

Ratio et pondus triplicis huius Animadversionis patebit ex infra dicendis de « communi » paupertate et oboedientia in *omnibus* Statibus Perfectionis exercenda.

Pontifex primo agit de membris singulis in se, sed tamquam partibus, quibus St.-Perf. constituuntur; dein de ipsis STATIBUS et quidem: 1) relate ad membra sua; 2) relate ad invicem; 3) relate ad Sedem Apostolicam et ad ipsam personam Summi Pontificis.

12. De *singulis membris,* in quantum sunt personae individuales, unum tantum punctum, (de quo iam tota Prima Pars fuit) Pontifex urget, primam et essentialem obligationem perfectionis christianae, ex aequo gravantem Subditos et Superiores, scl.: se unire Deo per charitatem et se Ei offerre in holocaustam, imitari et sequi Christum, suam doctrinam, suam vitam et suam crucem; se insuper consecrare servitio operis Christi, Ecclesiae, tamquam membra electa et activa Corporis Mystici; (cf. supra nn. 5. 6.). Huic principali et essentiali obligationi nihil unquam derogari potest; sed, ea semel in tuto posita, non interdicitur cogitare de renovatione et adaptatione *mediorum* eam sibi acquirendi; servatis tamen quibusdam clausulis: a) numquam deesse debet reverentia atque respectus *traditioni* debitus; b) non debet derogari *praescriptionibus, quas inviolabiles* dicunt Constitutiones; c) servari debet *disciplina religiosa,* qua subditis interdicitur sibi arrogare, quae sunt Superiorum, aut proprio Marte et nomine moliri reformationes, quas attentare non possunt sine Superiorum facultate.

De Communitatibus Statuum Perfectionis
(AAS., 1958, pag. 37 sqq.)

13. « Communitas » se offert considerationi tamquam aliquod unum totum compositum, constans membris tamquam partibus, Superioribus et subditis; inter quos mutuae habentur relationes. In his mutuis relationibus Pontifex duo elementa assumit accurate consideranda et examinanda: I. *Spiritum characteristicum* respectivi Status perfectionis, qui « Spiritus » est interna indoles individualis typica, qua haec Communitas (idest: hic individualis Status perfectionis) accipit suam physiognomiam specificam; quo « spiritu » etiam insigniuntur membra Communitatis atque etiam mutuae relationes inter Superiores et Subditos. Inter munera et officia Superiorum Maiorum praecipuum quendam locum tenet continua *cura huius spiritus,* ut scl. sit genuinus in se, ut sit bene cognitus a subditis ab iisque assumptus sincere mensura suae mentis et vitae; continua cura, ne hic spiritus vitietur, paulatim torpescat aut cesset totaliter.

II. Alterum elementum, quod secundum Pontificem attentionem et considerationem exigit, sunt illae *difficultates* quae generant certa *praeiudicia contra religiosam oboedientiam,* a qua essentialiter pendet renovatio spiritus Communitati proprii. Nam Superiores Maiores — (prout modo dictum est) — per oboedientiam creant et conservant in Communitate « spiritum characteristicum ».

Ad. I. Tentamen adaptationis et cura integritatis « spiritus proprii ». (AAS., 1958, pag. 38)

14. Omne *tentamen adaptationis,* exsequendae in sinu interno determinati STATUS, necessario secum trahit quasdam alterationes « spiritus proprii » Societatis. Ita agendo adaptatio tangit et pungit Societatis fibras maxime intimas. Omnis enim SOCIETAS tenet et contendit *suum spiritum servare intactum.* Hoc est Societatis *ius et officium;* ideo suo spiritu vult videre impraegnata sua membra et penetrata eorum vita. In hac tendentia consentiunt cum qualibet SOCIETATE Ecclesia et Summi Pontifices; nam approbando cuiuslibet SOCIETATIS peculiare vitae genus, voluerunt in ea hoc genus in sua puritate servari; et huic servationi continuo invigilant Ecclesia et Summi Pontifices; (AAS., 1958, pag. 38, alinea 2).

15. Cum pluries in Commentario ad « expressionem obiectivam » spiritus Communitatis recurratur, ab initio haec notantur:

I. Secundum explicita verba Pontificis omnes addicere debent Superioribus Maioribus (nec minus « Superiorissis Maioribus ») ius dicendi subditis, qualis sit spiritus suae communitatis. Subditis nullum est tale ius: Superiores maiores sunt ergo « competentes »; subditi sunt incompetentes; (de « competentia » vide infra n. 19).

II. Secundum explicita verba Pontificis *omnibus* (idest: Superioribus et subditis) manet quaestio posita: « Ubi invenire obiectivam expressionem huius spiritus? »

III. Secundum explicita verba Pontificis obiectiva expressio spiritus invenitur in « Constitutionibus », ab Ecclesia approbatis, quippe in quibus invenitur « mens fundatoris », (sive vivi, sive vita functi), ab Ecclesia acceptata et adprobata.

IV. Secundum explicita verba Pontificis ius Superiorum maiorum dicendi subditis, qualis sit spiritus, est ergo ius dicendi, qualis sit « sensus obiectivus » Constitutionum.

V. Secundum explicita verba Pontificis: asserta a Superioribus *veritas* « sensus obiectivi » Constitutionum, (sicuti omnis assertio alicuius veritatis), inniti debet argumentis, veritatem evincentibus.

VI. Secundum explicita verba Pontificis argumenta evincentia veritatem non sunt: Superioris Maioris gustus et impressio, (etsi omni bona fide et sinceritate efformata); neque Superioris convictio subiectiva, licet fulta textibus Constitutionum, a Superiore intellectis secundum eandem eius convictionem subiectivam.

VII. Secundum Pontificis explicita verba sufficiens « veritatis » argumentum spiritus interni et sensus Constitutionum est: solidum studium et meditatio Constitutionum, adiutum consilio in re peritorum, praesertim si hi periti ex officio ad hoc designantur; assidua ad Spiritum Sanctum, lumen cordium, deprecatio.

VIII. Secundum Pontificem, his positis, Superior potest sententiam de obiectivo sensu Constitutionum enuntiare, et hanc sententiam subditis, tamquam normam sentiendi et agendi, imponere. Haec sententia Superiorum est quidem (se-

cundum Pontificem) semper fallibilis, (cf. AAS., 1958, pag. 155), sed praesumitur « vera », donec contrarium probetur.

IX. Sensus obiectivus Constitutionum potest, positis omnibus modo nominatis, manere « dubius », utpote obiective varias interpretationes admittens. Tale Dubium dicta sententia Superioris maioris non tollitur, nisi Superior, (sive solus sive sociatus cum aliis) habuerit facultatem « authentice » interpretandi Constitutiones, (ad instar facultatis « authenticae interpretationis » *legis* dubiae, quae interpretatio legi potest *dare* sensum non-dubium, etsi sensus non dubius obiective legi non insit; (de « authentia » vide infra n. 18, ultima pars). In casu talis insolubilis Dubii sententia Superioris subditis potest et debet esse norma agendi, non est nec potest esse norma sentiendi de veritate obiectiva, idest: interius iudicandi: « *constare* » verum sensum obiectivum Constitutionum esse sensum, a Superiore in sua sententia enuntiatum.

16. Hae sunt *universales et communes,* a Summo Pontifice ad omnes Status-Perfectionis enuntiatae regulae de explorando, firmando, probando, et tandem per competentes Instantias promulgando « interno spiritu » Communitatis et de « obiectivo sensu » Constitutionum. De *particularibus autem documentis* officialibus (Decretis, Instructionibus, Exhortationibus, Litteris, etc.), quibus in concreto subditi de « interno spiritu » vel de « obiectivo sensu » edocentur, Pontifex in Allocutione nullum iudicium protulit. Horum documentorum inspectio et examinatio denotasset opus, cui in aliqua Allo-

cutione satisfieri non posset, tum propter extensionem operis (sunt multo plus centum Status-Perfectionis); tum propter obiectum et materiam. Pontifex debuisset vel deberet agere (et quidem usque ad particularia): historicum, censorem criticum fontium, patrologum, professorem Theologiae et Moralis (circa multa ea particularia, quae in his documentis asseruntur), S. Scripturae etiam exegetam professionalem. De caetero, quae ad usum et applicationem « Constitutionum » attinent ad specificum et distinctivum characterem cuiusvis Status-Perfectionis circumscribendum et in allegatis documentis officialibus promulgendum: omnia, quae scitu et usu necessaria sunt, in modo allatis communibus et generalibus Pontificis regulis iam enuntiata sunt. — Practice unum tantum monendum et examinandum in his documentis officialibus restat, scl. *sat frequentem usum et applicationem S. Scripturae,* quo illa documenta officialia de spiritu specifico conficiunt, in iis sua asserta illustrare et Scripturae auctoritate probare iusto iure assumunt. De hoc in his documentis usu S. Scripturae Allocutio nullam criticam ponderationem exhibet. At, quae in hac re scitu et notatu necessaria vel utilia sunt, Pius XII in Litteris Encyclicis « Divino afflante Spiritu », De Sacrorum Bibliorum studiis, (30. Sept. 1943; AAS., 1943, pag. 297-325) concinne fuseque notavit, tum quoad axiomata doctrinalia, tum quoad practicum modum agendi, in usu Scripturae servandum. Unum tantum punctum ex his Litt. Enc. sumendum et in materia nunc tractanda urgendum est; scl.: *in usu S. Scripturae sensus litteralis semper intactus servari debet.*

Ideo textus Scripturae, qui in sensu litterali *omnes* respicit vel qui ideam ac postulatum *omnes* amplectens effert, in exegesi « sensus litteralis » non potest ita explicari, ut non iam « omnes » respiciat, vel postulata exprimat non *omnes* amplectentia, sed ad *determinatum coetum, vel ad determinatas ut tales ideas ac postulata* coarctetur. Sic latitudo et universalitas « sensus litteralis » (sive quoad personas sive quoad materiam) vel tolleretur vel diminueretur. Quando ergo sensus litteralis (quoad ambitum et quoad obiectum omnino universalis) in illis documentis officialibus adhibetur ad specificam et distinctivam indolem alicuius « Status-Perfectionis », vel ad determinatum aliquod in eo punctum particulare auctoritate Scripturae probandum vel fulciendum: periculum caveri debet, ne a sensu litterali recedatur. — At non reici nec reprobari debet « accommodatio » alicuius textus Scripturae eiusque sensus litteralis contra sensum litteralem — (etsi accommodatio solummodo ab aliquibus et ex eorum individuali indole originem habet), dummodo « accommodatio » non exhibeatur tamquam sensus litteralis, vel tamquam accommodatio non ab accommodantibus, sed a Domino vel a Spiritu Sancto in alio loco Scripturae peracta.

Sed haec provocatio ad Pii XII Litt. Enc. « Divino afflante Spiritu » non est necessaria ad illam probandam Pii XII mentem, secundum quam *principia generalia* studii perfectionis christianae in Sacris Litteris haberi et ex iis probari possunt. ipsa Allocutio d. d. 9. Dec. 1957 abundat argumentis; secundum ipsam enim Scriptura et Verba Do-

mini exigunt: sinceram renuntiationem mundi, genuinam et sinceram imitationem Christi crucifixi, imitationem Christi in via crucis, in humilitate, in paupertate, in oboedientia; exigunt mortificationem carnis et concupiscentiae rebellis, etc. Non ergo ullo modo inquietandi sunt, qui in officialibus suis documentis, quibus inculcant subditis internum sui Instituti spiritum, utuntur « Scriptura », dummodo semper prae oculis habeant differentiam inter S. Scripturae sensum litteralem et S. Scripturae sensum accommodatum.

17. Pius XII, quod ad « veritatem » inveniendam attinet, Superioribus Maioribus II. Conventus Universalis relinquere potuit quae toties in publico exposuerat de via quaerendae et inveniendae « veritatis », et quae concinne contenta esse monuit in st. Thom. II-II, q. 49 a. 1-8 de partibus quasi-integralibus *prudentiae,* ubi exponitur, quid quis ipse praestare, quid ex aliis discere debeat, antequam discernat, quid « verum » sit. Et cum auctoritativum hoc iudicium et gubernium Superiorum habet non solum rationem iudicii *theoretici,* sed insuper rationem iudicii *practici,* Superiores maiores memores quoque sint oportet, quae st. Thom. habet Sum. theol. I-II q. 57 a. 5 ad 3 de « *v e r o* » intellectus speculativi, (quod est conformitas intellectus ad *rem*) et de « *vero* » intellectus practici (quod est conformitas intellectus ad *appetitum rectum*); verum practicum positive *differre* potest a vero speculativo; verum speculativum in vero practico omnino *deesse* potest. Unde est, quod iudicium auctoritativum Superioris maioris aliquando exhibeat tantum « verum practicum », non ex-hibeat

« verum speculativum », et quod Superior maior « garantiam » veri speculativi suis subditis non det, ideoque neque subditorum consensum in veritatem speculativam suae auctoritativae expositionis exigere valeat.

Haec, hoc loco secundum mentem Pii XII exposita, prae oculis haberi debent, ut quae dicto iudicio auctoritativo Superiorum maiorum exponuntur in Allocutione d. d. 11. Febr. 1958 ad Moderatores Generales Ordinum ac Sodalitatum; (AAS., 1958, pag. 155, alinea 2), secundum mentem Pii XII intellegentur et ponderentur; utriusque enim Allocutionis (d. d. 9. XII 1957 et 11. II 1958) verbis satisfieri debet.

> « Sane, qui prudens sit Superior, consilia plurima libenter petet et audiet; sapientum et doctorum sententiam multum cum animo suo revolvet et ponderabit; numquam sibi ipsi fidet perinde ac si periculum errandi cuilibet in terris non semper immineat. Postea autem, in quantum id potest, auditis imprimis iis quos ipsa Regula tamquam consiliarios natos sibi concessit fusis plurimis precibus ad Spiritum Consilii, mature rebus omnibus consideratis, certam determinatamque sententiam amplectetur; nec vereatur eam paterna atque humili firmitate subditis prout oportet imponere, ac secundum eam eorum actus et vitam provide et iuste condecet cuncta disponere »; (AAS., 1958, pag. 155).

Breviter tandem, ut mens Pii XII de movendis subditis per auctoritatem Superiorum innotescat, attingi debet quaestio de *authentia* et de *competentia*. Superiores enim iusto iure dare intendunt *authenticam* declarationem spiritus et vitae Instituti sui et censent, se, ita authentice procedendo, versari intra suam *competentiam*.

Textus officiales de sensu vocis « authentia », (« authentica ») assignari solent: 1) C. I. C. can. 17 de authentica interpretatione legis; 2) Conc. Trid.,

Sessio IV de authentia Vulgatae; 3) Pii XII, Litt. Enc. « Divino afflante Spiritu », d. d. 30. Sept. 1943, de sensu « authentiae », quam Concilium tribuit Vulgatae.

18. « Authentia » (« authenticum ») in his Documentis effert, quod id, quod hac voce authentiae vocetur : *a*) ratione *originis* ortum sit ex auctoritate « officiali » — (in oppositione ad auctoritatem mere « doctrinalem », *b*) ratione *termini* auctoritate officiali subditis sit impositum tanquam norma ligans sentiendi et agendi. — Ita : authentica interpretatio *legis* (can. 17) subditos ligat, ut, suppositis supponendis, in exsequenda lege hanc interpretationem sequantur. — « Authentia » (authenticum), quando est auctoritative asserta *conformitas* inter id quod asseritur conforme, et obiectum, cum quo dicitur conforme, proprias habet regulas. E. gr. textus a Superiore maiore *allegatus* ex Constitutionibus ab ipso dicitur « authenticus » relate ad eundem textum *prout est in ipsis Constitutionibus;* aut textus S. Scripturae allegatus a Superiore maiore in Instructione ascetica ab ipso urgetur tamquam authentica citatio Scripturae; aut effatum Theologiae asceticae a Superiore maiore dicitur authentica doctrina catholica, ad quam ipse nunc in dirigendis subditis provocat. — In his exemplis, (et in genere) « conformitas », declarata « authentita », *duplicem ligationem* subditorum per Superiorem significare potest : alteram de interno consensu dando in assertam conformitatem; alteram de agendo secundum eandem; prima est conformitas *judicii,* altera conformitas *vitae.* Ex parte subditi utraque conformitas praestari po-

test; sed aliquando adesse potest conformitas vitae, deesse vero conformitas iudicii. Conformitas *iudicii* supponit obiectivam « *veritatem* », (quod scl. unum revera sit alteri conforme); veritas autem habet suas proprias leges. Conformitas *vitae* non semper et necessario alligatur « veritati obiectivae » assertae conformitatis. Lex e. gr., de qua habetur « authentica » interpretatio, sed extensiva vel restrictiva, fundare potest « conformitatem vitae », fundare non potest « conformitatem iudicii » eo sensu, quod ex una parte habeatur nonmutatus tenor ipsius legis nec mutatus eius sensus obvius verborum, ex altera parte authentice declaratur eadem verba habere abhinc alium sensum. Ideo impossibile est iudicium: inter sensum obvium verborum legis et authenticam declarationem novi sensus esse « conformitatem ». Num in Statu-perfectionis Superiores maiores habeant potestatem « authentice interpretandi » articulos Constitutionum, disci debet ex ipsis Constitutionibus; hodie generatim talem facultatem sibi reservat S. Sedes, quando dat approbationem Pontificiam Constitutionum; ad summum datur Superioribus facultas authenticae interpretationis mere declarativae articuli cuius sensus est clarus et certus. In antiquis vero religionibus quidam Ordines habent ius authentice interpretandi, immo mutandi (intra certos limites) Constitutiones. In his familiis religiosis, dando authenticam declarationem, competentes Superiores exigere solent et conformitatem vitae et conformitatem iudicii in sensu declarationis authenticae ab eis datae; salva semper quaestione de « *veritate* » historica et critica alicu-

ius textus Constitutionum; « *veritas* » habet suas leges et criteria; ipsa « veritas » exploratur et declaratur, non « decretatur ». De potestate « Magisterii ecclesiastici », authentice declarandi, decidendi, dirimendi etiam quaestiones doctrinales et historicas de « veritate » hic non est loquendum, quia talem (vel similem) potestatem nullus Superior maior, neque eorum universa collectivitas habet, (nec vi muneris nec vi delegationis, a Summo Pontifice datae). — Neque Superiores maiores participant potestatem « Magisterii Ecclesiae » authentice interpretandi S. Scripturam, authentice delineandi et definiendi pro suis subditis sententias ipsius « *doctrinae catholicae* », (quae habetur sive apud Patres sive apud magnos Theologos medii aevi, sive apud recentes auctores) neque doctrinae dogmaticae, neque moralis, neque asceticae. Possunt tamen dare explicationes sic dictas « doctrinales » tum Scripturae, tum dogmatis, tum Moralis et Ascesis; et, experientia teste, tales explicationes dantur ab ipsis cum solida scientia, cum pietate, cum gustu et notabili fructu.

19. Altera res et vox, quae in auctoritativis declarationibus Superiorum maiorum occurrit, quaeque magni est momenti, (quae attente, sed semper reverenter considerari debet), est: « *competentia* ».

Competentia definiri potest: potestatis legitimae circumscriptio et accuratio limitans. Dicitur imprimis de potestate presse dicta; scl. de potestate *iurisdictionis* ac triplici eius functione (legislativa, administrativa, iudiciali) et de potestate *dominativa*. — Competentia dicitur sensu latiore et

improprio (e. gr. sensu doctrinali, scientifico, technico, etc.) de aliis facultatibus et potentiis; sic dicitur quis « competens » in medicina, in variis scientiis, in variis artibus, etc. etc.). — Competentia respicit quaestiones (easque « definit »): quid quis, relate ad quod obiectum (personas, res), quo modo, quo loco, tempore, quibus impletis condicionibus, auctoritative statuere et aliis imponere queat. Optandum est, ut Superiores maiores ultra competentiam presse dictam habeant etiam in vita religiosa et ascetica competentiam late dictam scl.: doctrinalem, scientificam, experimentalem vitae perfectionis christianae. Talis competentia late dicta invenitur in tot sacerdotibus, qui non sunt « Superiores », ad quos tamen fideles confluunt ad directionem conscientiae suae obtinendam. Huiusmodi personae inveniuntur etiam inter feminas religiosas.

Superiores maiores vi muneris sui habent « competentiam presse dictam » ad munus suum gerendum; ex natura « competentiae » sequitur quod potestate sui muneris intra competentiam suam semper valide et licite uti queant; sed ex natura eiusdem competentiae sequitur etiam, quod ea uti valent *solummodo* intra « competentiam suam »; (quoad personas, quoad materiam, quoad locum, tempus, etc. etc.). Valet abbreviata regula: « Qui extra competentiam agit, nil agit »; neque subditus Superiori extra competentiam agenti, (et in quantum extra competentiam versatur), oboedire tenetur.

In Superioribus maioribus « competentia » et « authentia » intime iungi solent. Ipsa potestas Su-

periorum maiorum est « authentica », quatenus a competente Auctoritate auctoritativo actu est data; Superiores maiores suam voluntatem gubernativam authentico modo manifestant et imponunt; ad taliter agendum Superiores sunt etiam « competentes ». — Hinc inde accidit, ut « competentia » Superiorum maiorum in Constitutionibus vel per aliquam auctoritatem competentem, (e. gr. per Capitulum Generale, vel per ipsam S. Sedem) authentice sive declaretur sive positive stabiliatur. In huiusmodi casibus ex inspectis documentis disci debet, quid valeat in particulari. — Haec sufficiant ad dilucidandas notiones « authenticitatis » et « competentiae », quae relationem inter singula membra Instituti et ipsum Institutum pervadunt et difficultatem materiae patefaciunt. Practica solutio tot quaestionum et problematum authentiae et competentiae habetur in sincera mente religiosa, qua imbuti et Superiores dirigunt et subditi directioni oboediunt.

20. Caput de iure et officio Superiorum maiorum recte inveniendi, concipiendi, enuntiandi, et tamquam normam subditis imponendi « genuinum spiritum » Instituti, concludit Pontifex paucis, sed ponderosis verbis efferendo: ius unius partis (Superiorum) et onus alterius partis (subditorum) esse *correlativa;* Ecclesiam et Pontifices numquam cessasse defendere ius et urgere onus, sed utrumque sine violatione iustorum limitum, idest intra limites competentiae. Ut evitetur exasperatio et unius et alterius partis, et ut servetur *pax,* sufficere, ut utraque pars agnoscat et exsequatur hanc

normam, quae ex saeculis fuit norma Ecclesiae et Pontificum, et quae semper in valore remanet.

Hanc conclusionem, quam Pontifex in re tanti momenti *omnibus* STATIBUS PERFECTIONIS censuit adaptatam et sufficientem, iuvat in textu originali hic ponere:

> « Les droits des Supérieurs et les devoirs des inférieurs sont en cela corrélatifs. L'Eglise et les Souverains Pontifes entendent toujours défendre les droits et urger les devoirs mais sans sortir des justes limites. Pour éviter d'exaspérer les uns et les autres et conserver la paix, il suffit que chacun reconnaise et pratique cette norme, qui fut depuis des siècles celle de l'Eglise et des Papes, et reste toujours en vigueur »; (AAS., 1958, pag. 38, alinea 3).

Ad II. Praeiudicia contra religiosam oboedientiam. (AAS., 1958, p. 38 sq.)

Alterum elementum speciale quod, respectu relationis inter COMMUNITATEM et membra COMMUNITATIS, Pontifex sibi tractandum proposuerat, fuerunt *obstacula,* quibus generantur certa *praeiudicia contra religiosam oboedientiam.* Quae obstacula et praeiudicia oboedientiae ideo neglegi non possunt, quia proprie per oboedientiam a Superioribus providetur efformationi, conservationi atque renovationi interni spiritus characteristici COMMUNITATIS; (cf. AAS., 1957, pag. 38 linea 2-4; et supra n. 13).

21. Doctrina Pontificis de « oboedientia evangelica » (idest de oboedientia, fundata in consilio evangelico, ad quam membra cuiusvis STATUS PERFECTIONIS ligantur) — si in genere consideratur doctrina, his effertur normis:

1) Non est, neque esse potest ST-PERF., in quo non sit ligatio ad oboedientiam evangelicam; (cf. st. Thom., Sum. theol. II-II, q. 186 a. 5).

2) Oboedientia evangelica superat evangelicam paupertatem et continentiam; (cf. Sum. theol., 1. c. art. 8).

3) Causa immediata, modus inde resultans, intensitas, extensio, etc. huius ligationis ad oboedientiam evangelicam variantur pro variis STATIBUS, sed *substantia* huius ligationis quoad *omnes* STATUS est indispensabiliter eadem; (ab ORDINE presse dicto usque ad INSTITUTUM SAECULARE ligationis minimae, apud viros et apud feminas).

4) Obiectum seu materia oboedientiae evangelicae est voluntas legitimi Superioris, intra suam competentiam ad extra manifestata. Recurrunt quae Pontifex exposuit de iure et officio Superiorum authentice formulandi atque suis subditis imponendi « genuinum spiritum » COMMUNITATIS; (cf. supra n. 18 sqq.).

5) Subiectum (« portator ») legitimae potestatis est ille, quem CONSTITUTIONIS vel IUS COMMUNE designant.

6) Voluntas legitimae auctoritatis, ad extra manifestata, haberi potest: in ipsis CONSTITUTIONIBUS aut in actu particulari AUCTORITATIS, sive haec est persona physica, sive aliquod « Consilium »; (cf. supra n. 18).

7) Regulae hic positae pro *omnibus* STATIBUS, (praecisione facta ab omni eorum indole propria) respiciunt et ligant STATUS PERFECTIONIS *omnes;* (cf. quae supra notata sunt n. 10 de paupertate evangelica; insuper notata de interpretan-

dis et applicandis regulis communibus, datis pro omnibus, neglecta eorum specifica indole; (supra n. 11, in parte secunda, inde a 1), 3) usque ad n. 12).

22. In his « directivis » *generalibus* Pontifex non intrat in quaestionem: utrum Superiores Statuum Perfectionis « competentes » haberi debeant imponendi subditis *actus mere internos,* (idest actus, qui nullo modo iunguntur cum humano actu externo, sive ut eius elementum essentialiter praerequisitum, sive ut elementum constitutivum, sive ut inseparabiliter consecutivum. — Tangitur autem hoc problema a Pontifice in *secunda* sua quaestione *speciali* quae est de « praejudicio contra oboedientiam », utrum scl. potestas Superiori, in iudicium subditi concessa impedimentum sit « maturationis intellectualis personae religiosi », (per oboedientiam quasi constricti ad quendam « infantilismum » perpetuum) — et utrum sit impedimentum « viro maturo », impositum quoad usum « maturi sui iudicii », forte discrepantis a voluntate Superioris legitimi, aliter sentientis; (AAS., 1958, pag. 39, inde ab alinea 3). (*).

(*) Quaestio de legitimi Superioris humani competentia ad « actus mere internos », potestate *propria* praecipiendos, — (non potestate *ministeriali* in iure divino) — considerari potest *in se,* et prout est *obiectum Allocutionis* Pii XII, de qua agitur. Solummodo sub secundo aspectu haec quaestio per se spectat ad hunc articulum et commentarium. — Si nihilominus aliquomodo intratur quaestio *in se,* hoc fit ob sententiam quam aliqui dicunt sancti Thomae, et ob conclusiones quas ex st. Thomae sententia et auctoritate deducere volunt quoad actus mere internos tamquam obiectum « oboedientiae religiosae ». — In genere quaestio de actibus mere internis, tamquam obiecto potestatis propriae Superioris humani, est sententia controversa, aliis talem potestatem affirmantibus, aliis eam negantibus, utraque parte afferente argumenta tum

23. Quaestio fundamentum habet quosdam textus st. Thomae, qui in sua Sum. theol. II-II q. 104 a. 5 haec habet:

« In his quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini oboedire, sed solum Deo »; (in corpore articuli).

« Deo subicitur homo simpliciter quantum ad omnia et interiora et exteriora: et ideo in omnibus ei oboedire tenetur. Subditi autem non subiciuntur suis Superioribus quantum ad omnia, sed quantum ad aliqua determinate; et quantum ad illa medii sunt inter Deum et subditos; quantum ad alia vero immediate subduntur Deo ... »; (ad 1).

« Religiosi oboedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis Praelatis subduntur; et ideo quantum ad illa sola oboedire tenentur, quae possunt ad regularem conversationem pertinere; et haec est oboedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis oboedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis »; (ad 3) (*).

---

ex natura rei tum ex fontibus positivis. — Utrum quis unam vel alteram opinionem praeeligat, inde nil deduci potest de sententia et mente, quam Pius XII in Allocutione sua de *obiecto oboedientiae religiosae* exposuit. — Si in hoc Commentario memorantur controversiae de actibus mere internis et de sententia st. Thomae, hoc non fit ad dirimendas has controversias, sed ad earum fundamentum et pondus significandum.

(*) St. Thomas finit responsum ad 3 his verbis: « Sic ergo potest triplex oboedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quae scilicet oboedit in his ad quae obligatur; alia perfecta, quae oboedit in omnibus licitis; alia indiscreta, quae etiam in illicitis obedit ». Quod hic habentur de « *perfectione* » oboedientiae, quae sit « *in omnibus licitis* », non probat: secundum st. Thomas etiam « actus mere internos » pertinere ad « perfectionem » oboedientiae. — Illa « licita » possunt solummodo intellegi de *licitis intra ambitum « regularis conversationis »*; non — (ut quidam praetendunt et asserunt) — de *omnibus* licitis, in se et absolute sumptis. Iam vero st. Thomas nec hic nec alibi docet « actus mere internos » pertinere ad « conversationem regularem », quae, cum sit « *communitatis* », necessario absolvitur actibus humanis externis

Haec st. Thomae sententia etiam tunc temporis non fuit communis; a non paucis impugnabatur. Defendebatur autem a Jacobo Mettensi O. P., qui non fuit immediatus discipulus st. Thomae, sed discipuli discipulus. Parisiis primo ante annum 1295, dein iterum inter 1295-1302 legit SENTENTIAS. In suo Commentario ad Sent. II, d. 44 q. un. tractat quaestionem, utrum subditus in omnibus teneatur oboedire Superioribus: « Tertio dico quod in nullo tenetur subditus oboedire praelato quantum ad actum interiorem, sed solum secundum exteriorem; verbi gratia bene teneor ire, ubi praelatus praecipit, sed quod illuc vadam ex interiori complacentia non potest mihi praecipere, nec etiam papa ... Similiter papa bene potest mihi praecipere quod dicam horas, sed quod intendam semper actualiter non potest ».

Hi textus hucusque nondum sunt editi; inveniuntur in Cod. Vat. Burgh. 122, f. 74 ra; Vat. Borgh. lat. 317; Cod. Troyes 992.

Allegati textus st. Thomae non possunt habere sensum: oboedientiam religiosam amplecti sollummodo actum externum materialiter ponendum, non autem etiam correspondentem internam voluntatem. Sufficit legere Sum. theol. II-II q. 186: « Utrum oboedientia pertineat ad perfectionem religionis »; art. 8: « Utrum votum oboedientiae sit potissimum inter tria vota religionis »; ad quam

---

vel mixtis. Possunt tamen esse in familiis religiosis proprie dictae obligationes etiam circa actus mere internos, quarum obligationum exsecutionem Superiores exigere possunt, non tamen vi « Superioritatis, qua talis », sed ex alio omnino titulo. — Praetera, interpretatio, quod secundum st. Thomam ad *perfectionem* oboedientiae pertinerent etiam actus mere interni, offenderet contra principium fundamentale, in corpore articuli, enuntiatum indubiis his verbis: « in his quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo ».

quaestionem respondet affirmative, et addit rationes, quarum prima sic sonat:

> « Quia per votum obedientiae aliquid maius homo offert Deo, scl. *ipsam voluntatem,* quae est potior quam corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam; et quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Unde illud quod fit ex obedientia, est Deo magis acceptum quam id quod fit per propriam voluntatem ... » (II-II, q. 186 a. 8 c).

Ergo etiam *ipsa voluntas* secundum st. Thomam vero et proprio sensu pertinet ad votum obedientiae. — Sed sic non solvitur quaestio: *quo modo* secundum st. Thomam « voluntas » cadat sub voto obedientiae: utrum solummodo ut indispensabile elementum omnis actus « conversationis regularis », ut hic actus sit « actus humanus » et « actus virtutis », an etiam, ut actus in se sumptus seu ut *mere internus,* idest separatus ab omni actu humano *externo* « conversationis regularis ». Ex verbis et mente Pontificis deduci nequit, ipsum hanc quaestionem — (si ita generaliter ponitur de omni actu humano, mere interno, et virtutis) — voluisse tractare, et multo minus dirimere. — Argumentum dein pro sententia positiva (scl. Superiores religiosos posse etiam praecipere actus mere internos), petitum ex natura rei et ex fine Status perfectionis qui sit ipsa perfectio christiana; ex quo fine et obedientia et potestas Superiorum mensuram et regulam sumat, hoc argumentum nullum esse asserunt, quia argumentum non sufficienter attendat ad differentiam inter finem Religionis et finem Religiosi; finem *religionis* esse urgent: conversationem regularem, in

quantum haec est « medium » perfectionis religiosae obtinendae; finem « Religionis » non esse ipsam perfectionem religiosam. E contra finem *religiosi* esse ipsam perfectionem, relate ad quam proprie actus interni, ut tales, sint media maxime apta; ergo « religiosis » respectu finis obtinendi « religio » est *unum* ex mediis ad finem. — Quod ipsum st. Thomam attinet, magis verum esse videtur: eum tenuisse sententiam *negativam;* quae assertio confirmationem quandan habet ex supra nominato Jacobo Mettensi, praesertim si eius totus contextus sumitur, ex quo paucae phrases supra allegatae sunt sumptae. — Hodie sententia « communior » — (et fortasse dici debet: simpliciter « communis ») — est sententia affirmativa, scl. Superiores religiosos quoad actus mere internos pollere hac potestate; (quod extendendum videtur ad Superiores et Superiorissas etiam « Instituti saecularis », ob similes rationes).

Hoc dictum sit de mente et sensu Allocutionis 9. XII. 1957 relate ad obedientiam *in genere* sumptam.

24. Incipiens tractare de praeiudiciis contra obedientiam religiosam, Pontifex breviter innuit: religiosos tepidos vel qui defecerint a via perfectionis ingredienda, nunc non attendi; se agere solum cum religiosis fervidis; apud quorum quosdam residere quoad obedientiam religiosam animi quandam tensionem, tristitiam, depressionem, ortam fortasse ex delusionibus personalibus, aut radicem habentem in quibusdam primae antiquitatis — (tempore classici Iuris Romani) — principiis et factis Iuris. — Tria praeiudicia in particulari a

Pontifice nominantur: 1. periclitatio dignitatis personae humanae in religioso; 2. impeditio maturationis intellectualis in religioso; 3. falsificatio exclusivae « orientationis et destinationis » religiosi in solum Deum; — (idest: imminens religioso quidam « vilismus », « infantilismus », « servilismus »).

25. Ad primum praeiudicium, quod est de *diminutione dignitatis personae religiosi,* Pontifex monet: subesse huic praeiudicio interpretationes erroneas principiorum, quae regunt vitam religiosam, aut errores practicos de horum principiorum applicatione. Religiosis, de quibus agitur, Pontifex in memoriam revocat verbum Domini, quod ipsis sit regula vitae religiosae: « Venite ad me omnes, qui laboratis! Discite a me, quia mitis sum et humilis corde! Sic invenietis requiem animabus vestris », (cf. Mt. XI, 28-29).

Dominus secundum Pontificem his verbis docet et monet, ut homines, assumendo iugum Domini, discant (ultra observantiam « legalem », quae facile onerosa et dura sit), sensum verae submissionis et christianae humilitatis. Secundum Pontificem tantum abest, ut haec submissio et humilitas laedant dignitatem eorum, qui se submittunt, ut eos interne liberent. Assumpta enim submissio et humilitas Christi eos faciunt suum statum submissionis non videre ut constrictionem ab extra impositam, sed ut sui ipsius liberam traditionem in manus Dei, cuius dein voluntas iis se manifestat per visibilem auctoritatem eorum, qui legitimam habent missionem regendi et praecipiendi. — Superior autem secundum Pontificem iuxta

Christum suam potestatem exercere debet in eodem humilitatis evangelicae sensu: « Qui est maior in vobis, fiat sicut minor etc. »; (Lc. XXII, 26). — Ideo in Superiore necessaria firmitas semper sibi sòciatam habere debet profundam erga subditum reverentiam et suavitatem animi paterni. — Haec est Pontificis ad primum praeiudicium responsio eiusque solutio. — Addi debet: maiorem quam in subdito debere esse humilitatem in Superiore, cum maxima fuerit in Domino, a quo et Superiores et subditi humilitatem discere debent; dicente Domino: « Discite *a me!* » — Et uni et alteri ab hoc *Ideali* deficere possunt, qua autem deficientia non tangitur ipsum *Ideale;* et Pontifex, ut *omnibus* solveret difficultatem omnibus voluit proponere *Ideale omnium*: Christum Dominum.

« *Vilismus* » ergo personae humanae in obedientia evangelica neque latet neque peragitur.

26. Alterum contra obedientiam evangelicam praeiudicium accusat eam de *impeditione maturationis* intellectualis et affectivae. Haec instantia in Allocutione fuse et profunde a Pontifice examinatur et dilucidatur. Iuxta Pontificem: ita loqui est calumniosum tum iis qui sunt in aliquo Statu perfectionis, tum ipsi statui; dicunt enim: membra Status Perfectionis vi obedientiae evangelicae condemnari ad quandam speciem « *infantilismi* », efficiendi in initio et continuandi per totam vitam; (cf. AAS., 1958, pag. 39, alinea paenultimum usque pag. 40, alinea 3).

Pontifex reicit hoc praeiudicium, quippe quod primo contrarium sit *experientiae* pristinae et recenti; constare enim maioritatem membrorum Sta-

TUUM PERFECTIONIS non laborare ullo « infantilismo », sed pollere iudicio sano et maturo. Quod si urgent « obicientes »: saltem in decursu temporis COMMUNITATES et SUPERIORES pedetentim constringere subditos ad assumendam methodum cogitandi et agendi, quae fundet talem accusationem contra obedientiam evangelicam: Pontifex, excedens argumentum experientiae, ut refutet et damnet — — (si forte adest) — talem methodum, affert doctrinam Apostoli gentium; (ad quam exponendam Commentarius statim redibit). Prius clarus reddatur conceptus « infantilismi ».

27. « Infantilismus » intellegitur: aetati naturali non correspondens inevoluta forma percipiendi, iudicandi, sentiendi, agendi. Infanti inevoluta talis forma est naturalis; ideo infans non dicitur laborare « infantilismo »; aliter homo adultus. In se reiciendus est omnis infantilismus; et in religioso non est attentanda ulla eius forma. Et hoc valet, non obstante categorica comminatione Christi: « Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum ». (Mt. XVIII, 3). Aliud est enim « infans », et aliud est « infantilismus ».

Pontifex, pergendo in sua expositione, *omnibus* STATUUM PERFECTIONIS membris, Superioribus aeque ac Subditis, mensuram et normam mentis et actionis ponit Apostolum, exigentem, ut omnes christiani, — (ergo a fortiori omnes « in perfectionem vitae christianae tendentes ») — crescere tendant « *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; ut non iam simus parvuli fluctuantes* », (Eph. IV, 13-14). Nihil ergo ab Apostolo fidelibus permittitur « infantilismi »; in linea

vitae christianae gerendae in fidelibus ab Apostolo exigitur « *vir perfectus* », et quidem iuxta *mensuram aetatis plenitudinis Christi* »; ab Apostolo explicite reicitur parvulorum fluctuans adhuc intellectus et voluntas, (idest: symptomata infantilismi, si habentur in viro adulto). Continuat Pontifex ulterius urgendo Apostoli de « maturitate » doctrinam, reicientis apud adultos modum cogitandi et sentiendi, qui « characterizat » infantem. « Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli »; (1. Cor. XIII, 11). Pontifex proponendo hos textus religiosis conquerentibus de « infantilismo », minime concedit et consentit: « *obedientiam* » religiosam offendere contra haec verba Apostoli, sed contra ea offendere obedientiae « *infantilismum* », quae non praestetur per modum « viri adulti ». — Haec linea ponderationis a Pontifice continuatur, remittendo Superiores et subditos ad suam de educatione conscientiae christianae Allocutionem d. d. 18 Aprilis 1952, ubi monuerat: sanae educationis esse edocere et formare, ut homo ex se ipso utatur sua libertate secundum sanum suum iudicium, et ut se paulatim liberet ab educatore; (cf. AAS., 1952, pag. 418. alinea paenultimum). Concludit Pontifex hanc de « infantilismo » expositionem, monendo, ut unumquodque membrum Status Perfectionis, Superior aut subditus, sibi applicet allegata verba Apostoli; tunc evanescere omne « infantilismi » periculum, nec in discrimen vocari sive debitum respectum legitimae auctorita-

tis, sive sinceram submissionem sub decisiones eius; (AAS., 1958, pag. 39 infra, sqq.).

His de infantilismo dictis, Pontifex non nisi per transennam pauca verba addit de affini praeiudicio quod est de quodam « *servilismo* », idest de asserta deprimente diminutione valoris personalis et socialis, quam subire cogitur religiosus. Quidam religiosi, serii, sinceri et timoratae conscientiae conqueruntur, quod ad religiosos applicari soleant ideae et valutationes, propriae iuris « *servorum* » antiqui iuris Romani; e. gr. quod servus habitus et tractatus fuerit « res », non persona; quod, quia « res », fuerit in « proprietate domini sui » utentis eo ad beneplacitum suum; quod, quidquid acquirit servus automatice per servum acquiratur domino; et huiusmodi plura. Conqueruntur: has ideas « servorum » et « serviles » applicari ad religiosos, eosque edoceri, ut sic de se ipsis sentiant, et ut erga Superiores se gerant non aliter ac « servus » Romanus erga « herum et dominum », de servo disponentem ad beneplacitum suum, sicuti de « *re* ». Addunt: suam condicionem « religiosi » adhuc duriorem et acerbiorem reddi, eo, quod haec diminuta appretiatio eis obveniat etiam in *Ecclesia;* nam religiosos in ea haberi homines secundae et inferioris condicionis, quibus quidem alii — (in superiore condicione sociali positi) — libenter utantur, quoties eis uti velint vel indigeant, quos tamen in eorum coenobiis abscondi et includi velint, si nulla eorum est indigentia.

Ampla haec materia a Pontifice vix tangitur, brevissime absolvitur, dicendo: religiosos, si diminutionem appretiationis sub uno aspectu subie-

rint, per oblationem sui ipsius, quam per obedientiam fecerint, eis *dignitatem* conferri, quae largissime compenset sacrificium diminuti valoris, in quod libere consenserint. — Circa diminutam condicionem autem personalem et socialem in *Ecclesia,* Pontifex simpliciter remittit ad ea, quae de hac re dixerit in Allocutione ad « I. Conventum generalem Statuum Perfectionis » d. d. 8 Dec. 1950 (AAS. 1951, pag. 26-36), in qua edixerat: condicionem utriusque cleri, quod spectat ius divinum, esse prorsus eandem; multiplices differentias inter utrumque clerum esse iuris ecclesiastici; (l. c., pag. 27 sq. n. I); clerum saecularem ut talem non esse in Statu perfectionis (l. c. 29, n. II), in quo sint religiosi; motivum et causam ingrediendi religionem nequaquam esse maiorem commoditatem vitae, neque debilitatem characteris, qui periculis mundi se sentiat imparem (l. c. pag. 30, III). *Res* anno 1950 dicta, hoc loco nullo verbo nominatur. Obviae subsumptioni religiosorum conquerentium: pristinam Allocutionem exhibere « normas », querelas autem oriri *ex factis,* Pontifex opponit solutionem: libera per obedientiam facta diminutione in uno ordine, compensari exaltatione in alio ordine: in altiore ordine plus dignitatis acquiri, quam quae in ordine inferiore amissa sit.

28. Nihilominus in Allocutione d. d. 13 Sept. 1951 ad « Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum » hanc difficultatem obedientiae, quibusdam religiosis provenientem ex putato « servilismo », cui se subiectos sentiunt, Pius XII magis explicite tetigit, et normam agendi inculcat, quo talis « depressio animi » praecaveatur vel

removeatur. Postquam ex Carmelitanum propriis Documentis allegavit caput, inscriptum « Institutio ad oboedientiam religiosam: exercitium auctoritatis ac reverentia erga personam subditi », paulum morans in hac inscriptione, pergit:

> « Salutare igitur agnoscite et veneramini et libenter accipite, quasi pondus fortium, oboedientiae iugum! Verumtamen hoc tempore, quo machinae ubivis tenent imperium, quo technica moderatio omnia invadit, combibit, ad suam imaginem fingit, moderatores curent, ne eos qui nutui obtemperent, veluti merces aut machinamentorum partes tractent, sed semper in iis humanam vereantur personam » (l. c., pag. 736, alinea 1, in fine).

29. Antequam finis imponatur eis, quae in Allocutione diei 9. Dec. 1957 de « infantilismo » et « servilismo » habentur, restat quaestio, num in hac Allocutione *omnibus* STATIBUS PERFECTIONIS tamquam « norma » proposita sit aliquod Pontificis effatum, quo *omnibus* subditis verbum Superioris, legitime praecipientis, designetur norma *veritatis obiectivae,* cum qua veritate subditus oboediendo uniatur, quia « verbum Superioris », *virtute cuiusdam assistentiae Dei,* per se unit subditum cum obiectiva rei veritate. — Haec cum *veritate* connexio est aliquod fundamentum sic dictae « *oboedientiae iudicii* ». Quaestio est ergo: num in generali hac, *omnibus* STATIBUS PERFECTIONIS destinata Allocutione, haec oboedientia iudicii a Pontifice *doceatur,* et omnibus ut *norma agendi, si non imponatur* tamen consulatur, (saltem ut norma « perfectionis », etsi non « obligationis »).

30. Ubi Pontifex agit de Superioris quoad « genuinum spiritum Communitatis » decisione a

subditis admittenda, non agit de « ficta » per subditos admissione, sed de sincera. — Iuxta ea, quae supra n. 18 dicta sunt, duplex distingui debet sincera admissio decisionis a Superiore datae alia tamquam « norma *agendi* », altera tamquam norma *iudicandi;* (et addi potest tertia: tamquam norma et agendi et iudicandi). Pontificem respectivo textu huius Allocutionis (AAS., pag. 38, alinea 3) imponere velle normam de veritate *iudicandi,* ultra eam normam, quam quaelibet seria assertio hominis serii in re seria exigit: nullo argumento probatur; ex contextu potius contrarium deduci debet, (cf. totam problematis expositionem supra, inde a n. 14 sqq.).

31. Accedit Pontificis argumentatio de prompta et humili admissione verbi Superioris, decidentis ex auctoritate Domini: « Discite ex me, quia mitis et humilis sum corde! Sumite iugum meum super vos! ». Supra n. 29 memoratum iam est: in textibus allatis Scripturae agi de *veritate verbi Domini* admittenda; sed hic agi de admittenda omnino altera veritate, scl. de *veritate verbi Superioris;* quae una *veritas,* nullo modo nectitur cum *veritate* altera.

32. Sed verbis minime dubiis Pontifex effert: subditis per Superiores manifestari et innotescere « *Dei voluntatem* ». Eo ipso autem quod Pontifex profert hoc adagium, effert etiam: subditos verbum Superioris « iudicare » debere tamquam *Voluntatem Dei;* in tali vero admissione tamquam « voluntas Dei » latet oboedientia et iudicii et voluntatis. Ergo etiam iudicii oboedientiam exigit

Pontifex ab omnibus. — At talis illatio et conclusio in textu Allocutionis non habetur.

Supposito, quod Superior manserit intra limites competentiae suae, « materia » a Superiore enuntiata, exhibet quidem secundum Pontificem subdito « voluntatem Dei »; sed non ideo et ipso facto « veritatem rei ». Subditus sincere oboediens, audito verbo Superioris, studet intellegere, quid velit Superior. Quo cognito, deliberato consilio, abstrahere potest ab impositae per Superiorem *materiae veritate* examinanda; contentus esse potest iudicio: materiam enuntiatam ipsi esse « voluntatem Dei », praescindere valet ab omni examine « materiae » respectu conformitatis cum obiectivis rerum condicionibus, (prout hae in se sunt) et sic « voluntatem Dei » exsecutioni mandat. Subdito e. gr. imponitur determinatum opus apostolicum, determinato modo peragendum; subditus « iudicat »: hoc opus, hoc modo exsequendum esse sibi « voluntatem Dei »; utrum hoc opus et hic exsequendi modus sit congruus obiectivae realitati rerum: hanc quaestionem subditus deliberate non intrat; (supponitur scire: Superioribus has condiciones esse notas). Hic subditi modus agendi plene satisfacit postulatis, quae *Pontifex* in sua Allocutione profert: videre scl. in voluntate Superioris voluntatem Dei eamque facere. Hanc ergo subditus exercet *oboedientiam iudicii,* (necnon sic dictam *oboedientiam caecam*); et his satisfacit *Allocutioni* Pontificis. Ex dictis elucet: praestari posse *oboedientiam iudicii* in *voluntatem Dei,* evitata *oboedientia iudicii* in veritatem *rei,* (mandatae per Superiorem).

33. Quam cum ita sint, asseri nequit: per Allocutionem diei 9. Dec. 1957 a Pontifice, eo, quod *omnibus* STATIBUS PERFECTIONIS imposuerit admittendi verbum Superioris tamquam manifestationem « voluntatis Dei », omnibus impositam esse illam formam oboedientiae iudicii, consentientis in veritatem materiae demandatae. — « Oboedientia iudicii » in *veritatem* rei obligatoria est omnibus relate ad decisiones « *Magisterii Ecclesiae* »; ubi est etiam fundamentum praerequisitum ad talem iudicii oboedientiam, scl. assistentia Spiritus Sancti, quae per se jungit « Magisterium Ecclesiae » cum *veritate obiectiva* enuntiationis a Magisterio factae, (etsi allata a Magisterio argumenta interna forte rem non evincunt); (cf. Allocutionem Pii XII ad Cardinalis, Archiepiscopos, etc. d. d. 2 Nov. 1954; AAS., 1954, pag. 672). At talis Superiorum « assistentia Dei », propter quam a subdito « assensus religiosus in veritatem asserti » Superiorum praestari possit, a Pontifice in Allocutione diei 9. Dec. 1957 nullo verbo effertur vel innuitur. Ideo omnis obligatio ad hanc oboedientiae formam, etiam omnis per Pontificem commendatio vel consilium huius oboedientiae iudicii, in quantum asseritur enuntiata et stabilita in Pontificis Allocutione diei 9 Decembris, *negari* debet. Pontifex tale quid *hac* occasione nec directe nec indirecte docuit vel statuit.

Sed haec expositio et interpretatio *verborum Pontificis* de submissione *iudicii* proprii sub iudicio Superioris, quod attinet ad *voluntatem Dei* videndam in re demandata a Superiore, non autem ita ad admittendam *veritatem rei* demandatae, non

debet identificari cum quaestione, *in se* sumpta, scl. an possit, immo an debeat religiosus, qui *prefecte* vult oboedire, in mandato Superioris videre motivum et « garantiam » etiam quoad *veritatem rei* demandatae. Sunt rationes, ultra rationes naturales supra n. 30, pag. 27 allatas, verae et solidae, sed altioris ordinis, cur hoc asseratur. Certo certius Superior, proprie fretus auxilio Dei, Superiori dato ad munus bene gerendum, ex sua parte intendit demandare etiam *veritatem rei,* non tantum *voluntatem Dei,* praecisione facta a rectitudine et aptitudine rei. Superior, spiritu religioso imbutus et fretus auxilio Dei, in munere sibi per Providentiam Divinam concredito gerendo, hoc servitium *veritatis* rationabiliter intendere et effective exsequi potest. Et eadem haec gratia et assistentia Dei, Superiori data, vero quodam sensu pro subditis esse potest genuina et valida ratio, cur mandatum sui Superioris habeant motivum et fundamentum sui iudicii affirmativi in *veritatem rei,* sibi a Superiore demandatae. — Ex altera parte vis et qualitas huius assistentiae divinae, Superioribus datae, non debet poni in una linea cum assistentia Spiritus Sancti, de qua argumentis theologicis certo omnino constat et quae datur *Magisterio Ecclesiae* ad sui effati *veritatem* fundandam et fulciendam; in quam *veritatem* « consensus religiosus » a fidelibus praestari potest et debet, proprie propter *hanc* Spiritus Sancti assistentiam.

34. *Tertium praeiudicium* contra religiosam oboedientiam respicit immediatum, supremum et directum « dominatum Dei » super conscientias, quem immediatum contactum distendat Superior,

se per suas dispositiones in rebus ultimis et intimis interponens inter Deum et subditum, cuius commercium et conversatio cum Deo tunc transire debeat per « medium » Superiorum; (cf. AAS., 1958, pag. 40, inde a paenultimo alinea). Illis ergo religiosis videtur: pretendi in oboedientia religiosa, quod homo dependeat ab alio homine usque ad ultimum punctum et finem suae vitae et suae activitatis humanae, hoc autem nil esse, nisi conferre Superioribus praerogativas reservatas soli Deo, (l. c.).

Respondet Pontifex: talem thesim Ecclesiam numquam defendisse neque umquam approbasse. Urget vero dein Pontifex haec: Ecclesia considerat oboedientiam tamquam medium ducendi hominem ad Deum. Motivum, quod religiosum serium inspirat, est obtinenda unio cum Deo, et quia oboedientia ultimatim ordinatur ad augendam « charitatem », qua unio cum Deo perficitur: Superior et subditi erga Superiorem oboedientia in religioso serio non interponunt obstaculum inter Deum et subditum. Superior enim non potest ordinare nisi nomine Dei, et subditus non tenetur oboedire nisi ex amore Dei et Christi. Quod si subditus hoc modo iudicat et hoc modo agit, non obstante completissima submissione, in se servat dispositionem internam, gaudio plenam, hominis qui opere et vita omnis diei realizat et complet totalem sui ipsius donationem, factam ei quem habet unicum Dominum: *Deum*; (cf. AAS., l. c., pag. 40-41).

35. Nervus et nucleus huius argumentationis Pontificis est hic: oboedientia non est nisi *medium*

ad finem: *finis* est unio cum Deo per charitatem. Inde deducitur: oboedientiam non esse aliquid *ipsius Dei,* nihil esse nisi *medium* ad Deum. Nec Superior ullo modo excedit hanc rationem *medii* ad Deum. Nec ergo oboedientia nec Superior ullo modo constituunt pro religioso vel minimam partem sui finis ultimi; finis ultimus est *unus et solus Deus.* Numquam oboedientia religiosi facit Superiorem *con-finem ultimum;* Superior, qui est « Vicarius Dei », numquam est nec fieri debet « Vicarius Deus ». — Sed religiosus sincerus, de quo agitur, insuper attendere et memorari debet, se non solum esse destinatum fini ultimo, sed multis etiam finibus *intermediis,* in quibus prosequendis et exsequendis per Superiores et per oboedientiam ducitur ad *ultimum* finem, in omnibus istis particularibus, facilius et securius obtenendum.

De Statibus perfectionis *in sua relatione ad invicem.*

Absolutis iis, quae Pontifex sibi dicenda proposuerat de Statibus perfectionis relate ad propria membra, quibus constituuntur, transit ad hos Status considerandos in sua relatione ad invicem; idest in relatione unius Status perfectionis ad alium Statum perfectionis, sive eiusdem, sive diversae speciei.

36. Cum de rebus particularibus huc spectantibus: (unionis, adaptationis, collaborationis, foederationis et confoederationis Statuum), ut in variis Commissionibus et Sectionibus agatur, provi-

sum fuerit, Pontifex deliberato consilio has quaestiones non intravit, ne limitaret libertatem discussionis; unum tamen punctum sibi reservavit monendum, scl. illud quasi « bonum commune » STATUUM, qui vero aliquo sensu comparari queant et debeant membris alicuius « corporis ». *Corporis* autem multa sunt membra, quorum unumquodque habet quidem propriam et specificam functionem, nihilominus simul ad alterum membrum et ad totum ordinatur, ut ita et sibi et alteri et toti prosit. Explicite Pontifex provocat ad verba Apostoli in 1. Cor. XII, 12-27, ubi Apostolus fideles dicit membra unius eiusdem CORPORIS; unumquodque est hoc membrum, sed non obstante hac sua propria natura et functione, inserviat oportet et alteris membris et toti corpori. Tenens hanc Apostoli imaginem, Pontifex exponit: respectandum sane esse cuiuslibet COLLECTIVITATIS vel STATUS characterem specificum et proprium; sed respectandam esse etiam harum COLLECTIVITATUM « *Bonum comune* », quia membra respectu et finis et viae ad finem multipliciter ad invicem referantur et uniantur. Pergit dicendo: huic « bono communi » sufficienter et efficaciter provideri non posse, nisi unaquaeque Collectivitas parata sit alterarum COLLECTIVITATUM rationem habere, et consentire in aliquam, per « bonum commune » circumscriptam intra-ordinationem, co-ordinationem, immo et certam subordinationem.

Ex hac unitate organica fluet in magna illa Communitate STATUUM PERFECTIONIS mutua: sincera aestimatio, benevolentia, beneficentia, benevola collaboratio; excluditur quaelibet zelotypa riva-

litas. Habebitur congrua uniformitas, (evitato tamen mechanico et machinali uniformismo), magnanimus erit altruismus (suppresso quolibet devio egoismo); magna erit mutua « tolerantia », iuncta simul cum tenaci retentione propriae indolis et spiritus, idque conformiter ad a Pontifice allegatam doctrinam Apostoli docentis, quod in « corpore » unumquodque membrum habeat *propriam suam naturam et functionem.*

37. Tendit haec brevis per Pontificem tractatio mutuae inter COLLECTIVITATES relationis in hoc, ut praesentes faciat videre et se et alteros, non sub arcto proprii « Ego » et proprii « INTERESSE » aspectu, sed sub « boni communis » horizonte amplo et lato. — Quod idem post paucos menses latius exposuit in tertio Nuntio-radiophonico ad « Moniales contemplativas » d. d. 2. Augusti 1958, quibus suasit, ut in secluso suo monasterio vivere et spirare studeant sub horizonte, sub quo vivit, laborat, patitur *Ecclesia,* quae horizontem habet verticaliter et horizontaliter amplissimum atque altissimum. Videt Ecclesia in alto *Deum* et *Christum*, videt in terra homines *omnes* (gentes, stirpes, nationes, populos); omnes amplectitur mente et corde, amore, laboribus atque angustiis suis; non sibi vivit, sed aliis vivit: hominibus, magis Christo et Deo; (AAS., 1958, pag. 585-586).

De Statibus perfectionis *in relatione ad Vicarium Christi et ad S. Sedem.* (AAS., 1958, pag. 41-42)

38. Tertium hoc et ultimum punctum, quod Pontifex sibi in Allocutione tractandum proposuit, adhuc brevius puncto antecedenti absolvitur.

Magnas et exclusivas Vicarii Christi praerogativas — (Supremus Pastor, Supremus Magister, Supremus Sacerdos) —, unde multum pro relatione Statuum perfectionis ad Vicarium Christi derivari potest, Pontifex non nominat, sed se supponere dicit: eas omnibus Statibus non solum esse notas, sed — (in exemplum fidelium) — eis esse sanctas, impercussas et impercussibiles. Monet et urget: contactum inter Vicarium Christi et Status Perfectionis debere esse intimum, continuum et constantem; neglectum hunc contactum — (quaesitam eius loco ac volitam distantiam a Vicario Christi) — rationem esse, cur certae deviationes in doctrina et in vita accidere potuerint, de quibus Pontifex in Litt. Enc. « Humani generis » mentionem fecit et conquestus sit, has deviationes proprie viris religiosis ac membris Status perfectionis attribui debere. — Modum agendi cum Vicario Christi debere insigniri: fiducia, sinceritate, docilitate.

39. De relatione dein ad *S. Sedem* dicit Pontifex: S. Sedem velle accipere a Statibus Perfectionis *informationes* non solum « veras », sed etiam « apertas », sine velamine et obtectione, quae dignoscere permittant, quisnam in respectivo Statu

PERFECTIONIS revera sit status: doctrinae et vitae, efformationis et observationis asceticae, disciplinae religiosae, administrationis rerum temporalium, etc. Solummodo hoc modo et via bona promoveri et mala in tempore arceri posse.

40. Concluditur expositio huius ultimae partis memorando quandam tectam vel apertam accusationem de « *centralismo* », quasi Vicarius Christi vel etiam « Sancta Sedes » — (quo termino significantur Dicasteria Romana, quibus Summus Pontifex tamquam organis suis in regimine Ecclesiae utitur) — sibi omnia reservarent decidenda atque definienda, reddendo omnes alios (Superiores) « mere exsecutores ».

« Centrum esse » et « centralismum exercere » sunt duo diversa. « Centrum » est centrum; « Centrum » suae naturae et suo officio deesset, si a functione centri desisteret aut deficeret. « Centrum » autem, salva sua natura, multa aliorum Superiorum « initiativae » secundum normas CONSTITUTIONUM decidenda et dirigenda relinquere potest; dummodo « Centri » salva sint: *ius et actio* invigilandi et quamlibet rem ad se avocandi.

Vicarius Christi hac in terra est visibile « Centrum » totius Ecclesiae — (in specie quoad triplex docendi, regendi, sanctificandi munus); et nemo alius iuxta ipsum habet rationem « Centri ». Plenitudini huius potestatis Vicarius Christi renuntiare, et pleno hoc iure ac officio invigilandi se abdicare non potest. At, exceptis paucis functionibus, Summo Pontifici ex iure divino personaliter reservatis, ipse in gubernio Ecclesiae aliis (sibi subordinatis) multa demandare et relinquere po-

test, et de facto relinquit. Est huius rei testis quasi quotidiana experientia. Superioribus in variis STATIBUS PERFECTIONIS a Vicario Christi et ab Apostolica Sede multa relinquuntur regulanda et definienda; at, (ut dictum est) salvo semper supremo iure et officio invigilandi.

Sic ipse Pontifex dilucidat et reicit insinuationem et tectam « *centralismi* » accusationem. Haec verba Pontificis, ut perspiciantur, non indigent Commentario.

41. Missis factis omnibus problematis et quaestionibus, Pontifex auditoribus ad finem totius Allocutionis suppeditare vult verbum consolationis et confortationis, quod habetur in Epistola ad Colossenses: « Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis », (Col. III, 14). Exhortatur ita Pontifex auditores, ut quaerant unionem cum Deo eisque secundum verbum Apostoli promittit: se fructus perfectionis esse experturos.

APPENDIX

42. Vix ulla abhinc erit ratio et occasio scribendi *Commentarium* ad Allocutionem Pii XII p.m., plenam quaestionum et problematum gravium, ad quae in ea Responsum auctoritativum det. Ideo huic ultimo Commentario *Appendix* adicitur de pondere et momento theologico, quod Pius XII suis Allocutionibus; (Nuntiis radiophonicis, Litteris Encyclicis, etc.), *de rebus fidei et morum explicite tractantibus*, dare intenderit: utrum doctrinam catholicam exponere assumpserit ad modum « pa-

rochi » parochianis praedicantis; aut utrum « theologum privatum » egerit, qui in discursu theologico evolvit aliquod problema theologicum; (quorum neuter ex sua parte aliquid plus facere valet). Hac suppositione facta, *Theologi* sibi vindicant facultatem quoad « *rem* » *libere discutiendi et iudicandi* de iis, quae in Allocutionibus, etc. etc. a Pontifice sunt prolata, (manentes utique semper intra limites obiectivos omni discussioni theologicae positos, et integre semper servata reverentia Summo Pontifici debita, etsi privatim vel diminutim loquenti). Summus Pontifex, si vult, intra limites simplicis « praedicatoris » aut « privati theologi » se tenere potest; sed eo etiam excedere valet, si scl. agere intendit Supremum Magistrum, et uti vult sua Suprema docendi Potestate, (sat vario tamen gradu, ab inferiore usque ad supremum gradum definitionis ex cathedra). Quaestio haec non ponenda est *generalis et generica,* (scl. utrum in genere « Romani Pontifices » in suis Allocutionibus, etc. agant « privatos Theologos », an « Supremum Magistrum »); quaestio poni debet *individualis,* de *hoc* Pontifice. *Factum* enim pendet unice a voluntate huius determinati Papae.

43. Ideo in hoc *Appendice* quaeritur: *quid Pius XII s. m. in hac Allocutione* diei 9. Dec. 1957 (et in genere *quid ipse* in *suis* Allocutionibus, etc. etc.) faciendum sibi proposuerit.

De hac quaestione, sic limitata et circumscripta, ante 7 annos in hoc folio periodico (« *Periodica* de re morali, etc. », vol. 41, (1952) pag. 245-249) proposita fuit sententia: Pium XII his occasionibus, *quando explicite docet de rebus fidei et*

morum, agere « Supremum Magistrum », et uti « Suprema sua Auctoritate », (sed variis, non supremo gradu, qui adnexam habeat infallibilitatem). Publicato tunc temporis hoc ratiocinamento, haud pauci Theologi (Dogmatici, Moralistae, Canonistae, Exegetae), se opposuerunt et acriter contrarium defenderunt, scl.: respectivos actus Pii XII non excedere limites ordinariae expositionis doctrinae catholicae (parochi, privati theologi); ideo haec effata Pontificia Pii XII mensurare et examinare licere mensura « doctrinae communis Theologorum ». Si huic mensurae correspondent, Pontificis effata admittuntur; si non correspondent, relinquuntur. Hi Theologi, salva omni debita reverentia, negarunt: se, ut theologos, his Actibus Pii XII in *theologicis doceri a Pontifice,* sed asseruerunt: ipsos (idest: se ut Theologos) viceversa *scire docere Pontificem,* quo modo in theologicis loqui et se gerere debeat. — Anno 1956, in Allocutione d. d. 14 Sept. Pius XII mentem et modum talium Theologorum delineavit, dicendo: « Decisiva dunque per la conoscenza della verità è non già la « opinio *theologorum* », ma il « *sensus Ecclesiae* ». Altrimenti sarebbe un fare i Theologi quasi « *magistri Magisterii* » il che è un evidente errore » (AAS., 1956, pag. 709). — Ultimatim nec Auctor Appendicis nec Theologi-Opponentes hanc quaestionem « facti » (scl. intentionis Pontificis) dirimere valebant, nec volebant; ex altera parte, ob iteratos recursus et interrogationes, urgebat necessitas dilucidandi situationem. Ad hoc autem unice competens fuit ipse Pius XII; ideo ab eo petitum fuit, ut suam intentionem manifestare digna-

retur, utrum scl. *his occasionibus* munere Supremi Magistri fungi, et Suprema docendi auctoritate — (quamvis variis, non summo gradu) — uti intenderet. Edoctus simul fuit Pontifex de sententia illorum Theologorum, qui nolint acquiescere. Oblatum ei fuit exemplar APPENDICIS, 1952 publicati, ex quo totus « Status quaestionis » pateat. — Die 15. Julii 1952 textus Summo Pontifici porrectus est; breviter inspecto alinea decisivo pag. 149, illud adprobavit; sed exegit, ut exemplar ad accuratum examen ei relinqueretur. Sequenti die, 16. Julii, declaravit: se textum accurate lectum adprobare, eique consentire; disposuit, ut exemplar suae bibliothecae privatae insereretur.

Quapropter de mente et intentione huius Pontificis, Pii XII, circa respectivos hos suos Actus sufficiens certitudo haberi potest.

44. Haec hucusque publici iuris facta non sunt; nam vivente Pontifice a casu ad casum semper recursus ad ipsum, si necessarius fuit, institui potuit; at eo nunc defuncto, forte non paucorum interest scire: quamnam mentem et intentionem Pius XII, quaestione bene cognita et examinata, ut *suam,* manifestaverit. — Quodsi supra nominati THEOLOGI-Opponentes (« Magistri Magisterii »), si in notitiam huius Responsi Pii XII venerint, opponent: tale Responsum *privatum* pro Theologo esse nullius valoris; hanc voluntatem Pii XII, ut admitteretur a Theologis, *debere authentice publicari*: ipsis ita arguentibus concedi potest et debet: se hoc responso privato nullo modo ligari; sed ii neque impediuntur, quominus privato huic responso acquiescant; (cui responso, qui accepit, pro

privato suo iudicio et modo agendi adhaeret). — Alii, ut idem faciant, debent habere moralem certitudinem, illum, qui immediate cum Pontifice egerit, Pontificem bene intellexisse, et secundum rei veritatem referre.

45. Iuvat allegare alium casum similem, qui ante 40 annos accidit. Benedictus XV saepe interpellatus est de sua mente relate ad notas 24 theses de doctrina St. Thomae Aquinatis. R. P. Hugon O. P. inde ab anno 1914 pluries cum Papa de his thesibus egit, atque in audientiis privatis ex eius ore didicit: Benedictum XV pro sua persona illas theses tenere, sed nolle eas auctoritative imponere. Idem Benedictus XV, formaliter et officialiter de iisdem thesibus interpellatus ab aliquo « Ordinario », responderat: Pontificem has theses neque imponere neque praeferre, sed omnibus relinquere plenam libertatem. Ulterius eidem Ordinario urgenti et interroganti Benedictus XV concessit: theses, thesibus 24 oppositas, posse esse « aeque probabiles », immo et « probabiliores ». — Fit applicatio! Quae P. Hugon O. P., in privatis colloquiis ex Pontifice didicit, et quae variis locis publicavit, nullum alium, ut admittat, ligant (alius potest ea neglegere). Sed alius neque contra sanam mentem et scientificum spiritum theologicum offendit, si, innixus testimonio Patris Hugon O. P., admittit: Benedictum XV ita revera ad P. Hugon locutum esse. — Tota haec quaestio de mente Benedicti XV circa 24 Theses ultimis his annis iterum urgens facta est; ideo hic casus, ut casus similis, in exemplum affertur, (cf. de tota relatione Patris Hugon O. P. de mente Benedicti

XV, de sibi invicem contradicentibus relationibus aliorum circa respectivam mentem Pontificis : *I. M. Ramirez, O. P.* « De auctoritate doctrinali S. Thomae Aquinatis » (Salamanticae. 1952. Apud Sanctum Stephanum), pag. 94 sqq., et aliis locis. — *Fidel G. Martinez,* Evêque tit. de Sului, « De l'authenticité d'une philosophie à l'intérieur de la pensée chrétienne », Cap. IX pag. 46-52. (Imprimerie du Collège philosophique et théologique. Oña. Burgos. Spagne. 1952).

F. Hürth, S. I.

DE MENTE LEGISLATORIS QUOAD INTERPRETATIONEM CAN. 105 CODICIS IURIS CANONICI. (II)

Sub hoc titulo publicavi in fasciculo I. anni elapsi huius periodici breve studium de hac quaestione [1]. Dicebam, quod verba can. 105 CIC « satis est ad valide agendum » sensu obvio, claro et univoco statuunt minimum faciendum ad valide agendum (quando ius statuit Superiorem ad agendum indigere consilio aliquarum personarum); consilium igitur esse audiendum, ut actus sit validus.

Deinde ibi dicitur, si — dato non concesso — dubium admittendum esset, utrum revera consilium audiendum esset ad validitatem actus, an ad liceitatem tantum, tale dubium non iam haberetur ratione habita can. 35 iuris Orientalis de personis. (Dico: dato non concesso, quia dubium ca. can. 105 CIC affirmatum non fundatur obiective in textu et contextu canonis, sed erat positive causatum ob rationes legi extrinsecas). In hoc enim canone 35 iuris Orientalis de consulto verba ita electa sunt, ut ipsa formula qua talis sit univoce de validitate actus. Ita quidem non habetur authentica interpretatio can. 105 CIC; manifestatur autem clare mens legislatoris, quae est medium subsidiarium interpretationis canonum ad normam can. 18

---

[1] Periodica de re morali canonica liturgica, XLVIII, 1959, 65 ss.

CIC, relate ad dispositionem can. 105 CIC. Etsi enim non excluditur legislatorem statuere alia et alia pro Ecclesia Latina et Orientali, hoc certo excluditur in hac quaestione. Explicite etiam negatur omnia dubia, quae in CIC habentur, solvi per respectivos canones iuris Orientalis; immo positive dicitur: « Si textus CIC de se obvie intelligi potest duplici sensu utroque obiective fundato, certo certius solutio dubii in iure Orientali non constituit solutionem dubii pro CIC ». (72/73).

In eodem fasciculo eiusdem periodici habetur alius articulus de eodem argumento, scl. de interpretatione can. 105 CIC [2]. In hoc articulo sententia defenditur contraria sententiae a me propositae in studio meo: non autem fit mentio can. 35 iuris Orientalis. Interrogatus suo tempore, num consentirem publicationi huius articuli simul cum meo studio, respondi ex mea parte nihil obstare tali simultaneae publicationi, me relinquere lectoribus iudicium de validitate argumentationis meae.

Nunc auctor huius articuli, Dr. L. Bender, O. P., in alio periodico publicavit novum articulum [3], qui totus quantus ordinatur contra studium meum. Dicitur in hoc novo articulo: « Quidam iam instituerunt recursum ad textum iuris orientalis, a textu Codicis diversum, tamquam medium legitimum interpretationis, quin prius clare statuerint limites inter quos hoc fieri potest, et quin prius proba-

---

2 Actus Superioris indigentis consensu vel consilio, ibidem, 54 ss.

3 Ius orientale et interpretatio canonis 105, Monitor Ecclesiasticus, LXXXIV, 1959, 453 ss.

verint hunc recursum in casu in quo ipsi eum instituunt, revera fieri intra hos limites ». (453) Et refertur hic ad studium meum.

« Scribit Bertrams ' quoad can. 105 autem non de dubio in textu obiective fundato, sed potius de dubio positive causato ob rationes legi extrinsecas '. Sed hoc non est veritati conforme. In articulo publici iuris facto a me demonstravi ipsum textum cogere ad interpretationem a me propugnatam. Et etiam iam in meo libro, publici iuris facto anno 1957 ». (459, nota 14).

« Concludendum igitur est: recursus ad canonem 35 orientalem in interpretatione canonis 105 C.I.C. non est legitimus ». (461)

Libenter tamen etiam hic refero textus huius articuli, qui constituunt confirmationem argumentationis propositae in studio meo. Dicitur enim: « Adhuc datur tertius casus, scilicet: alia formula in iure orientali nihil aliud est quam formula quae aliis verbis, scilicet clarioribus, statuit idem ius seu illud ius quod iam, etsi formula legis minus clara, tamen certo statuitur canone C.I.C. In tali casu in Codice habetur lex in se certa, ita ut hic canon nequit rationabiliter et cum fundamento solido intelligi in duplici sensu, si verba in se et in textu et contextu considerantur. Haec certitudo autem non excludit quod aliqui canonistae duos sensus diversos possibiles esse iudicant, et putant hic dari locum rationabiliter dubitandi. Sed solo hoc dubio mere subiectivo lex ipsa non est lex in se incerta ». (456/457) « Porro, si habeamus legem in se certam, et deinde Legislator in collectione

orientali praebet formulam habentem eundem sensum sed clarius expressum, recursus ad formulam orientalem ad convincendos dubitantes dubio subiectivo est legitimus ». (458) « Absque formidine errandi admitto quod admittit Bertrams in articulo citato, scilicet quod in Legislatore non adest voluntas statuendi aliud ius in hac materia pro Ecclesia orientali, aliud pro Ecclesia latina et hoc definitive seu pro semper, sicut fecit quoad disparitatem cultus et aetatem qua persona fit maior. Circa hoc punctum habemus certitudinem requisitam ». (459)

Applicando haec principia argumentationem meam proposui et ad conclusionem a me statutam perveni [4]. Differentia igitur inter sententiam Dr. L. Bender et sententiam meam tandem aliquando reducitur ad differentiam, quae habetur inter utramque sententiam circa interpretationem canonis 105 CIC secundum textum et contextum, de iure condito; interpretatio autem secundum textum et contextum, quae a Dr. L. Bender proponi-

---

4 Interea Carolus Lefebure publicavit articulum: De orientalis codificationis auctoritate ad CIC interpretationem, Apollinaris, XXXII, 1959, 87 ss, in quo magna eruditione criterium statuitur, qua ratione ius Orientale dubia resolvat, quae quoad interpretationem CIC habentur. Applicando hoc criterium ad can. 105 cl. auctor hanc statuit conclusionem: « Inde concludendum videtur interpretationem c. 105 § 1 invaliditatem asserentem casu omissi consilii requirendi esse certam, siquidem retinetur a multis auctoribus significatio proposita. Quodsi nonnulli obiiciant non praetercundas esse difficultates ab aliis canonibus procedentes de eius applicatione, responderi potest alia esse media eas solvendi quin admittatur extenuatio principii generalis ». (103)

tur, videtur esse — non tantum meo iudicio — constructio artificialis et opinio singularis. Et ea de causa etiam nunc iudicium de validitate argumentationis meae libenter relinquo lectoribus [5].

Wilhelmus Bertrams, S. J.

---

[5] In Corollario III Dr. L. B. impugnat ea, quae scripsi in studio meo de applicatione can. 105 CIC ad can. 476 §§ 3, 4 CIC; etenim in can 517 §§ 3, 4 iuris Orientalis de personis, auditio parochi relinquitur discretioni Episcopi respective Superioris: « Praeprimis laudatus canonista dicens 'forte' declarat se non esse certum, quod vi interpretationis suae, factae ope recursus ad novam formulam can. 35, hic actus superioris (constitutio vicarii cooperatoris non audito parocho) non fit invalidus, a. v. quod sua interpretatio non ducit ad ius quod Legislator evidenter non vult. Insuper, et hoc gravius est, interpres privatus sic agens excedit limites muneris sui... Hic procedendi modus non est interpretatio iuris, sed est ad nostrum beneplacitum legibus dare sensum quem non habent, quia nobis hoc videtur utile pro bono communi... Solutio a Bertrams proposita admitti nequit ». (464, 465)

Revera in studio meo, ad praecavendam obiectionem, dixi: « Aliqua tamen restrictio forte facienda est ad mentem legislatoris quoad applicationem principii generalis can. 105 CIC »; (74) et citavi can. 517 iur. Or. Attamen non dixi can. 517 iur. Or. iam de se sufficere, ut dicatur legislatorem non amplius urgere normam can. 476 §§ 3, 4 CIC, quae vere est omnino clara. Immo explicite dixi: « Talis mens legislatoris temperandi normam generalem quoad determinatum negotium iuridicum non potest praesumi, sed positive probanda est. De se norma generalis applicanda est, nisi certo et obiective constet legislatorem quoad determinatum negotium iuridicum temperare normam generalem ». (75) A. v. si aliquis affirmat can. 476 §§ 3, 4 CIC esse intelligendum in sensu can. 517 iur. Or., ipse habet onus hoc probandi. (Vide etiam quoad hanc quaestionem notam antecedentem).

MONUMENTA

CONCILIUM, SYNODUS, CODEX IURIS CANONICI

Acta Sanctae Sedis 25 ian. - 31 dec. 1959

ABBREVIATIONES: AAS = Acta Apostolicae Sedis 51 (1959). OR = L'Osservatore Romano (1959). Periodica = Periodica 49 (1960).

CONSPECTUS: I. Indicationes introductoriae p. 67. — II. Series Actorum Chronologica p. 70. — III. Classificatio Actorum: A. Auctores et Qualificationes Actorum p. 75; B. Fontes Actorum p. 75; C. Argumenta Actorum p. 75. — IV. Textus Actorum secundum argumenta ordinati: A. Concilium p. 75; B. Synodus p. 116; C. Codex Iuris Canonici p. 139.

I. - INDICATIONES INTRODUCTORIAE

Die 25 ianuarii 1960, primus evenit anniversarius, a quo Romanus Pontifex Ioannes XXIII in coenobio monachorum Benedictinorum ad S. Pauli extra moenia, tres illos magnos futuros eventus praenuntiavit, quorum sola notitia fideles universae Ecclesiae commovit gaudioque ac spe replevit: Concilium scilicet oecumenicum, synodum romanam, accommodationem Codicis Iuris Canonici ad hodiernas necessitates. Ab illo die, Romanus Pontifex de his tribus punctis programmaticis sui Pontificatus saepe locutus est multasque dedit dispositiones ad illa in exitum perducenda, ea celeritate, quam gravitas rerum difficultatumque superandarum cumulus permittunt.

Opportunum esse nobis visum est, omnia colligere documenta, quae circa hos tres magnos praenuntiatos eventus, in organis Sanctae Sedis in lucem prodierunt durante toto hoc anno, a die 25 ianuarii ad diem 31

decembris 1959. Ex illis enim cognoscimus quaenam sit mens quodnamque fuerit consilium Supremi Pastoris Ecclesiae in his tribus eventibus promovendis, quorum felix exitus omnium christifidelium quam maxime interest.

Nec omitti oportere existimavimus illa documenta quae ad synodum romanam solummodo spectant, cum haec synodus, quamvis mere dioecesana sit in eaque promovenda et exsequenda Romanus Pontifex, non qua Pastor Ecclesiae Universalis, sed qua Pastor dioecesis Romae agat, exhibita ac reputata sit inde a prima eius nuntiatione ut factum quoddam momenti universalis, quod haud parvum influxum in totam Ecclesiam exercere potest. Hinc est cur hoc factum, de se locale, attentionem et exspectationem adeo magnam in toto orbe catholico suscitaverit. Accedit quod Romanus Pontifex, utpote simul Pastor universalis et Episcopus Romae, adeo intime inter se unita illa tria puncta sui programmatis, animo et corde complectitur, ut saepe de illis tribus simul sermonem faciat, atque vel quando de synodo romana tantummodo agit, non raro elementa praebeat non pauca, quae multum conferunt ad mentem eius cognoscendam circa concilium oecumenicum et accommodationem Codicis Iuris Canonici ad hodiernas necessitates.

Documenta quae de tribus eventibus vel de aliquo ex eis, data opera agunt, referimus integra; ex aliis vero, illas dumtaxat seligimus paragraphos vel verba, quae ad rem faciunt. Nullum commentarium nec annotationes ullas subiungimus.

In dispositione documentorum, ordinem sequimur chronologicum. Omnia documenta numeravimus, unumquodque eorum numero, qui ei iuxta hunc ordinem correspondet, signantes. Ut claritati consulamus faciliorem-que reddamus usum, in duas sectiones documenta distribuimus: quarum in primam (sectio A) illa ponimus, quae vel exclusive vel praevalenter ad concilium oecumenicum spectant; in alteram vero (sectio B) illa referimus, quae vel exclusive vel praevalenter ad synodum romanam pertinent. Documenta, quae de duobus eventibus aeque principaliter agunt, ac proinde eodem iure

possent in primam quam in alteram sectionem referri, in primam, utpote maioris momenti, collocamus. Ut autem simul collecta habeantur omnia elementa — et quidem ordine chronologico disposita —, quae aliquo modo ad subiectum uniuscuiusque sectionis spectant vel saltem illud illuminare possunt, inserimus in loco respectivo indicationem documentorum, quorum textus in alia sectione invenitur. Quo facilius locus inveniri possit, indicamus vel paginam, in qua incipit documentum, si hoc totum interest, vel paginam in qua sunt verba quae ad rem faciunt, si agitur de documento, quod nihil aliud habeat ad rem spectans.

De accommodatione Codicis Iuris Canonici ad hodiernas necessitates, nullum documentum independens exsistit. De hoc puncto tantummodo agitur in documentis, quae iuxta normas supra indicatas, transcribi debuerunt sive in sectionem A, sive in sectionem B. Ut autem omnia, quae circa hoc argumentum in lucem prodierunt simul habeantur, addimus aliam sectionem (sectio C), in qua elenchum facimus omnium documentorum in sectiones praecedentes relatorum, in quibus aliquid invenitur ad hoc punctum pertinens.

Clare indicamus in unoquoque casu fontem ex quo documentum transcribimus: nempe *Acta Apostolicae Sedis* vel *L'Osservatore Romano*. Solummodo documenta 17, 30, 35 ex aliis fontibus desumpta sunt. Patet maiorem sollemnitatem et universalitatem induere illa documenta quae in *Actis Apostolicae Sedis*, quam illa quae tantum in *L'Osservatore Romano* publicata sunt. Notandum praeterea est, ex documentis depromptis ex *L'Osservatore* alia exhibere verba ipsa Romani Pontificis vel documentum ipsum ab aliquo organo competente Sanctae Sedis emanatum; alia vero notitiam eorum quae Romanus Pontifex fecit vel compendium eorum quae dixit, tantummodo referre. Ultimus quo uti potuimus fasciculus *Actorum Apostolicae Sedis* est N. 17, die 17 decembris editus. Documenta ergo posteriora coacti sumus desumere omnia ex *L'Osservatore*.

In titulo documenti conamur praecise indicare Auctorem et qualificationem ipsius. Si documentum ex *Actis Apostolicae Sedis* desumptum est, transcribimus eius titulum integrum, prout ibi invenitur. Si vero desumptum est ex *L'Osservatore,* titulum semper lingua latina inscribimus. Hic titulus saepe est litteralis translatio tituli italici. Sed consulentes brevitati et claritati, non dubitamus titulum accommodare nostro scopo, semper ac id nobis opportunum videtur. Nomen *audientia* adhibemus ad significandum compendium allocutionis a Romano Pontifice habitae, prout hoc compendium in *L'Osservatore* prodiit; numquam agitur de verbis ipsis Romani Pontificis. Nomen vero *allocutio* reservamus ad significandum textum ipsum allocutionis a Romano Pontifice prolatae, sive in aliqua *audientia,* sive in alia occasione. Sub hoc respectu, *audientiae* aequiparatur documentum 13, quod nomine *inauguratio* insignimus.

II. - SERIES ACTORUM CHRONOLOGICA

1. - **25 ian.**: Sollemnis *Allocutio* Summi Pontificis ad Em.mos Patres Cardinales in Urbe praesentes habita, in Coenobio monachorum Benedictinorum ad S. Pauli extra moenia, post Missarum Sollemnia, quibus in Patriarchali Basilica Ostiensi interfuerat: AAS 65-69; Periodica 75.
2. - **26 ian.**: Primus *Nuntius* in OR 26-27 ian.; Periodica 80.
3. - **28 ian.**: *Audientia* Generalis: OR 29 ian.; Periodica 81.
4. - **30 ian.**: *Audientia* Parochorum Urbis, in Monasterio Ss. Ioannis et Pauli congregatorum ad secessum spiritualem peragendum: OR 31 ian.; Periodica 81.
5. - **31 ian.**: *Audientia* membrorum moderationis centralis Iuventutis Italicae Actionis Catholicae: OR 1 febr.; Periodica 83.
6. - **2 febr.**: *Epistula* « A voi » Summi Pontificis ad populum Romanum: OR 21 febr.; Periodica 117.

7. - **7 febr.**: *Audientia* « Gondolieri » Venetiarum: OR 8 febr.; Periodica 120.
8. - **10 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad concionatores sacri temporis Quadragesimalis in Urbe: AAS 192; Periodica 121.
9. - **18 febr.**: *Chirographus* « Ut huius » Summi Pontificis de constitutione ecclesiasticorum virorum consilii ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: AAS 228; Periodica 121.
10. - **18 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis, quam habuit in Ecclesia S. Ludovici, Francorum Regis, cum primum eam invisit, adstantibus Em.mis Patribus Cardinalibus, Praelatis praeclarisque Viris e Gallica Natione: AAS 143; Periodica 83.
11. - **21 febr.**: *Audientia* membrorum consiliorum centralium Consociationis Mulierum et Iuventutis Actionis Catholicae Italicae: OR 26 febr.; Periodica 122.
12. - **22 febr.**: *Audientia* Bergomatium, Romae residentium: OR 25 febr.; Periodica 122.
13. - **23 febr.**: *Inauguratio* Consilii ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: OR 25 febr.; Periodica 123.
14. - **4 mart.**: *Audientia* R. P. Friderici Schwendimann S. J., moderatoris generalis delegati Apostolatus Orationis, cum P. Angelo Ronco, subsecretario Societatis Iesu: OR 6 mart.; Periodica 83.
15. - **14 mart.**: *Oratio* Summi Pontificis pro Dioecesana Synodo Romana: OR 25 mart.; Periodica 124.
16. - **15 mart.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad peregrinatores Venetiarum: OR 16-17 mart.; Periodica 84.
17. - **17 mart.**: *Audientia* Consilii ac Sub-consiliorum ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: Bollettino del Clero Romano 40 (1959) 183; Periodica 125.

18. - **19 mart.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Centrum « Volontari della Sofferenza »: OR 20-21 mart.; Periodica 85.
19. - **1 apr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis Moderatoribus ac Delegatis e Catholicarum Studiorum Universitatum Foederatione, qui Beatissimo Patri obsequii exhibendi causa Romam convenerant: AAS 300-301; Periodica 85.
20. - **3 apr.**: *Audientia* membrorum Dioecesani Consilii Romani Actionis Catholicae et Consilii Directivi: OR 5 apr.; Periodica 127.
21. - **21 apr.**: Ex *Adhortatione* Summi Pontificis ad clerum, qui e tota Venetorum regione Venetias convenerat, in basilica S. Marci sacras exuvias sancti Pii Papae X veneraturus: AAS 379-380; Periodica 86.
22. - **27 apr.**: *Nuntius Radiophonicus* Summi Pontificis, quo locorum Ordinarii et universi orbis christifideles adhortantur ad impensas supplicationes habendas, per Maium mensem, ob Oecumenicum cogendum Concilium: AAS 314-316; Periodica 87.
23. - **16 mai.**: *Nuntius* de constitutione Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico: OR 17 mai.; Periodica 89.
24. - **17 mai.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Em.mos Patres, Exc.mos Praesules et christifideles, qui die Dominica Pentecostes in Basilica Vaticana interfuerunt sollemnibus Vesperis a Beatissimo Patre celebratis: AAS 420; Periodica 90.
25. - **2 iun.**: *Audientia* Rectorum 16 Seminariorum Regionalium Italiae: OR 3 iun.; Periodica 91.
26. - **5 iun.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis occasione « Horae Sanctae » in basilica Vaticana occurrente festo SS.mi Cordis Iesu: OR 7 iun.; Periodica 91.
27. - **7 iun.**: Ex *Nuntio* Summi Pontificis filiis operariorum occasione consecrationis B. Mariae Virg.: OR 8-9 iun.; Periodica 92.
28. - **14 iun.**: *Audientia* Pontificii Collegii Graecorum: OR 17 iun.; Periodica 92.

29. - **18 iun.**: *Audientia* Consilii ac Sub-consiliorum ad ea omnia apparanda, quae in Dioecesana Synodo Romana pertractanda erunt: OR 21 iun.; Periodica 129.
30. - **18 iun.**: *Epistula* Em.mi P. D. Dominici S. R. E. Card. Tardini ad Exc.mos Episcopos et Superiores Religiosos: Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, Prot. N. 1 C/59; Periodica 93.
31. - **18 iun.**: *Epistula* Em.mi P. D. Dominici S. R. E. Card. Tardini ad Clerum Romanum: OR 12 iul.; Periodica 129.
32. - **21 iun.**: *Audientia* Generalis: OR 22-23 iun.; Periodica 94.
33. - **29 iun.**: Ex *Litteris Encyclicis* « Ad Petri Cathedram » Summi Pontificis, de veritate, unitate et pace caritatis afflatu provehendis: AAS 498, 510-511, 514-516; Periodica 94.
34. - **30 iun.**: *Audientia* Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico: OR 4 iul.; Periodica 98.
35. - **18 iul.**: *Epistula* Em.mi P. D. Dominici S. R. E. Card. Tardini ad Rectores Magnificos Universitatum Ecclesiasticarum et Catholicarum: Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, Prot. N. 2 C/59; Periodica 98.
36. - **5 aug.**: *Audientia* Generalis: OR 7 aug.; Periodica 100.
37. - **8 aug.**: *Audientia* Seminarii Dioeceseos Bergomensis: OR 15 aug.; Periodica 100.
38. - **9 aug.**: *Audientia* moderatorum dioecesanorum Actionis Catholicae Italicae: OR 10-11 aug.; Periodica 100.
39. - **23 sept.**: Sacra Paenitentiaria Apostolica (Officium de Indulgentiis), *Oratio* ad Spiritum Sanctum pro Oecumenici Concilii felici exitu Indulgentiis ditatur: AAS 832; Periodica 103.
40. - **26 sept.**: Ex *Epistula Encyclica* « Grata recordatio » Summi Pontificis, de Mariali Rosario per Oc-

tobrem praesertim mensem pie recitando: AAS 677-678; Periodica 104.

41. - **26 sept.**: *Audientia* Generalis: OR 28-29 sept.; Periodica 104.
42. - **27 sept.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis peregrinatoribus Civitatis ac Dioeceseos Tergestinae: OR 28-29 sept.; Periodica 134.
43. - **25 oct.**: *Epistula* « Sull'inizio » Summi Pontificis de Dioecesana Synodo Romana: OR 30 oct.; Periodica 135.
44. - **25 oct.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis operariis, iuvenibus et aliis fidelibus: OR 26-27 oct.; Periodica 105.
45. - **28 oct.**: *Audientia* Generalis: OR 30 oct.; Periodica 136.
46. - **30 oct.**: *Consultatio* Em.mi P. D. Dominici S. R. E. Card. Tardini scriptoribus diariorum e toto mundo: OR 1 nov.; Periodica 105.
47. - **18 nov.**: *Audientia* Generalis: OR 20 nov.; Periodica 137.
48. - **7 dec.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis in basilica Ss. Apostolorum in vigilia festi Immaculatae Conceptionis B. M. V.: OR 9-10 dec.; Periodica 113.
49. - **14 dec.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Consistorio Secreto: OR 14-15 dec.; Periodica 114.
50. - **16 dec.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis occasione impositionis bireti cardinalitii: OR 18 dec.; Periodica 115.
51. - **17 dec.**: *Audientia* peregrinantium ex Dioecesi Bergomensi: OR 20 dec.; Periodica 139.
52. - **29 dec.**: *Audientia* Foederationis Universitariae Catholicae Italicae: OR 30 dec.; Periodica 139.
53. - **30 dec.**: *Audientia* Generalis: OR 1 ian. 1960; Periodica 116.

III. - CLASSIFICATIO ACTORUM

A. - Auctores et Qualificationes Actorum

JOANNES Papa XXIII: *Litterae Encyclicae* 33; *Epistula Encyclica* 40; *Adhortatio* 21; *Epistulae* 6 43; *Chirographus* 9; *Allocutiones* 1 8 10 16 18 19 24 26 42 44 48 49 50; *Nuntius* 27; *Nuntius Radiophonicus* 22; *Oratio* 15; *Audientiae ac Inauguratio* 3-5 7 11-14 17 20 25 28 29 32 34 36-38 41 45 47 51-53.

DOMINICUS Cardinalis TARDINI: *Epistulae* 30 31 35; *Consultatio* 46.

SCRIPTORUM diariorum *Nuntii* 2 23.

B. - Fontes Actorum

Acta Apostolicae Sedis 1 8-10 19 21 22 24 33 39 40.
L'Osservatore Romano 2-7 11-16 18 20 23 25-29 31 32 34 36-38 41-53.
Bollettino del Clero Romano 17.
Folia soluta 30 35.

C. - Argumenta Actorum

Concilium, Synodus, Codex Iuris Canonici 1-6 10 18 31 33 36.
Concilium, Synodus 14 20 25-27 29 32 37 38 40 41 43-45 47-49 53.
Concilium 16 19 21-24 28 30 34-35 39 46 50.
Synodus 7-9 11-13 15 17 42 51 52.

IV. - TEXTUS ACTORUM SECUNDUM ARGUMENTA ORDINATI

A. - Concilium

1. - **25 ian.**: Sollemnis *Allocutio* Summi Pontificis ad Em.mos Patres Cardinales in Urbe praesentes habita, in Coenobio monachorum Benedictinorum ad S.

Pauli extra moenia, post Missarum Sollemnia, quibus in Patriarchali Basilica Ostiensi interfuerat: AAS 65-69.

Venerabili Fratelli e Diletti Figli Nostri,

Questa festiva ricorrenza della Conversione di San Paolo, radunandoci qui intorno alla tomba dell'Apostolo, presso la sua Basilica insigne, Ci ha suggerito di aprire l'animo Nostro confidente alla vostra bontà e comprensione circa alcuni punti più luminosi di attività apostolica, che questi tre primi mesi di presenza e di contatto con l'ambiente ecclesiastico Romano Ci hanno suggerito.

Ci sta innanzi la sola prospettiva del *bonum animarum* e di una corrispondenza ben netta e definita del nuovo Pontificato con le spirituali esigenze dell'ora presente.

Sappiamo che da molte parti amiche e fervorose, e da altre malevole, o incerte, si guarda al nuovo Papa in attesa di ciò che di più caratteristico si è in diritto di attendere da Lui.

E' ben naturale che sul tessuto della quotidiana attività, che accoglie le più accresciute e le ordinarie manifestazioni del compito pastorale, venga fissato qualche punto più distinto, quasi a segnare la nota, se non la principale e la sola, però una delle più espressive della fisionomia di un Pontificato, che sta prendendo il suo posto più o meno felicemente nella storia.

Ebbene, Venerabili Fratelli e Diletti Figli Nostri, ripensando al duplice compito affidato ad un Successore di San Pietro, apparisce subito la duplice sua responsabilità di Vescovo di Roma e di Pastore della Chiesa universale. Due espressioni di una sola investitura sovrumana: due attribuzioni che non si possono scindere, che si debbono anzi comporre tra loro, ad incoraggiamento e ad edificazione del clero e di tutto il popolo cristiano.

Ecco innanzitutto Roma: nel corso di quaranta anni completamente trasformata in tutt'altra città da quando la conoscemmo nella Nostra giovinezza. Qua e là ancora si scorgono le sue linee architettoniche fondamenta-

li più vetuste, che talora costa qualche pena il rintracciare, soprattutto alla periferia avviluppata ormai in un agglomerato di case, di case, di case, di famiglie, di famiglie, qui convenute da ogni parte del continente Italico, dalle isole circostanti, e si può dire da tutta la terra. Un vero alveare umano da cui si svolge un brusìo ininterrotto di voci confuse, in cerca di accordi, che facilmente si intrecciano e si disfanno, rendendo faticoso e lento lo sforzo di unificazione di spiriti e di energie costruttive per un ordine corrispondente alle esigenze della vita religiosa, civica e sociale dell'Urbe.

Il Signor Cardinale Vicario Ci ha messo con grande diligenza al corrente della situazione spirituale di Roma dal punto di vista della pratica religiosa, dell'assestamento delle varie istituzioni di carattere parrocchiale, di culto, di assistenza, di istruzione cristiana: e Ci piace cogliere questa occasione per rendere omaggio alla realtà di uno sforzo commendevole, suo e dei suoi collaboratori, alacre ed incessante di vigilanza e di apostolato, esercitato dal vertice alla periferia da parte del clero secolare e regolare, fino ai collaboratori delle Associazioni cattoliche, con intenzioni rette e chiare di ciascuno, con operosità costante e sincera.

Accade per altro di dover constatare che l'episodio evangelico delle turbe chiamate a seguire il Signore e ad accostarsi a Lui, ma incapaci ed impotenti a trovarsi il cibo nutriente della grazia, si rinnova e tocca il cuore ansioso del pastore. Pochi pani: pochi pesci: « *quid sunt inter tantos*? ». Con questo accenno è detto tutto: quanto ad un incremento di energie, di coordinazione di sforzi individuali e collettivi atti a produrre, con l'aiuto del Signore, una coltivazione spirituale intensa, per una produzione più copiosa e felice di frutti benefici e santi nel senso dell'« *adveniat regnum tuum* », in un fervore di vita parrocchiale e diocesana più feconda.

Che se il Vescovo di Roma allarga lo sguardo Suo sul mondo tutto intero del cui governo spirituale è fatto responsabile per la divina missione affidataGli della successione del supremo apostolato, oh! lo spettacolo: lieto

da una parte dove la grazia di Cristo continua a moltiplicare frutti e portenti di spirituale elevazione, di salute e di santità in tutto il mondo: e triste dall'altra innanzi all'abuso e al compromesso della libertà dell'uomo, che non conoscendo i cieli aperti, e rifiutandosi alla fede in Cristo Figlio di Dio, redentore del mondo e fondatore della Santa Chiesa, si volge tutto alla ricerca dei cosiddetti beni della terra, sotto la ispirazione di colui che il Vangelo chiama principe delle tenebre, principe di questo mondo — come lo qualificò Gesù stesso nell'ultimo suo discorso dopo la Cena — organizza la contraddizione e la lotta contro la verità e contro il bene, la posizione nefasta che accentua la divisione fra quelle che il genio di Sant'Agostino chiama le due città, mantenendo sempre attivo lo sforzo della confusione per ingannare, se possibile, anche gli eletti, per trarli a rovina.

A colmo di sventura per la schiera dei figli di Dio e della Santa Chiesa si aggiunge la tentazione e l'attraimento verso i vantaggi di ordine materiale che il progresso della tecnica moderna — per sè indifferente — ingrandisce ed esalta.

Tutto ciò — diciamo, questo progresso — mentre distrae dalla ricerca dei beni superiori, infiacchisce le energie dello spirito, conduce al rilassamento della compagine della disciplina e del buon ordine antico, con grave pregiudizio di ciò che costituì la forza di resistenza della Chiesa e dei suoi figli agli errori, i quali in realtà sempre nel corso della storia del cristianesimo, portarono a divisioni fatali e funeste, a decadimento spirituale e morale, a rovina di nazioni.

Questa constatazione desta nel cuore dell'umile sacerdote, che la indicazione manifesta della Divina Provvidenza condusse, benchè indegnissimo, a questa altezza del Sommo Pontificato, desta — diciamo — una risoluzione decisa per il richiamo di alcune forme antiche di affermazione dottrinale e di saggi ordinamenti di ecclesiastica disciplina, che nella storia della Chiesa, in epoca di rinnovamento, diedero frutti di straordinaria efficacia, per la chiarezza del pensiero, per la compattezza

della unità religiosa, per la fiamma più viva del fervore cristiano che noi continuiamo a riconoscere, anche in riferimento al benessere della vita di quaggiù, ricchezza abbondante « *de rore coeli et de pinguedine terrae* » (*Gen. XXVII, 28*).

Venerabili Fratelli e Diletti Figli Nostri! Pronunciamo innanzi a voi, certo tremando un poco di commozione, ma insieme con umile risolutezza di proposito, il nome e la proposta della duplice celebrazione: di un Sinodo Diocesano per l'Urbe, e di un Concilio Ecumenico per la Chiesa universale.

Per voi, Venerabili Fratelli e Diletti Figli Nostri, non occorrono illustrazioni copiose circa la significazione storica e giuridica di queste due proposte. Esse condurranno felicemente all'auspicato e atteso aggiornamento del Codice di Diritto Canonico, che dovrebbe accompagnare e coronare questi due saggi di pratica applicazione dei provvedimenti di ecclesiastica disciplina, che lo Spirito del Signore Ci verrà suggerendo lungo la via. La prossima promulgazione del Codice di Diritto Orientale ci dà il preannunzio di questi avvenimenti.

Per la giornata odierna basta questa comunicazione fatta a tutto insieme il Sacro Collegio qui radunato, riservandoCi di trasmetterla agli altri Signori Cardinali tornati alle varie sedi episcopali loro affidate, sparse nel mondo intero.

Gradiremo da parte di ciascuno dei presenti e dei lontani una parola intima e confidente che Ci assicuri circa le disposizioni dei singoli e Ci offra amabilmente tutti quei suggerimenti circa la attuazione di questo triplice disegno.

La conoscenza che Ci era già abbastanza familiare, e che questi tre mesi dalla Nostra introduzione al servizio « *servorum Dei* » ha confermata ed amplificata, Ci incoraggia a confidare nella grazia celeste: innanzitutto nella intercessione della Immacolata Madre di Gesù e Madre nostra, nella protezione dei Santi Pietro e Paolo « Apostolorum Principum »; nonchè dei Santi Giovanni Battista ed Evangelista, Nostri particolari patroni, e di

tutti i Santi della Curia celeste. Da tutti imploriamo un buon inizio, continuazione, e felice successo di questi propositi di forte lavoro, a lume, ad edificazione ed a letizia di tutto il popolo cristiano, a rinnovato invito ai fedeli delle Comunità separate a seguirCi anch'esse amabilmente in questa ricerca di unità e di grazia, a cui tante anime anelano da tutti i punti della terra.

Venerabili Fratelli e Diletti Figli Nostri! Come Ci tornano soavi ed incoraggianti le parole di San Leone Magno, che la Sacra Liturgia ci invita ora più sovente a recitare. Oggi stesso vibra più vivo il saluto di San Paolo, il convertito di Damasco, che qui ci ha accolti presso le sue più sacre memorie: « Corona mea ... et gaudium vos estis, si fides vestra, quae ab initio Evangelii in universo mundo praedicata est, in dilectione et sanctitate permanserit » (S. Leo M., *Sermo 2*).

Oh! che saluto è questo: tutto degno della nostra famiglia spirituale. *Dilectio et sanctitas*: un saluto ed un augurio. *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Amen.

2. - **26 ian.**: Primus *Nuntius* in OR 26-27 ian.

In occasione della visita compiuta ieri domenica nella Patriarcale Basilica Ostiense, il Sommo Pontefice Giovanni XXIII, dopo avere assistito alla Cappella Papale, ha tenuto nel Monastero di San Paolo una Allocuzione agli Em.mi Signori Cardinali che erano intervenuti al solenne Rito.

Sua Santità Si è soffermato su alcuni punti di attività apostolica più importanti, suggeriti dalla esperienza di questi primi tre mesi di Pontificato e riguardanti le Sue responsabilità di Vescovo di Roma e di Pastore Supremo della Chiesa Universale.

Come Vescovo di Roma, il Santo Padre ha rilevato il grande sviluppo avuto dalla città in questi ultimi decenni ed i gravi problemi che sono connessi con l'assistenza spirituale della popolazione.

Come Pastore Supremo della Chiesa, ha accennato

ai pericoli che oggi maggiormente minacciano la vita spirituale dei fedeli, cioè gli errori che qua e là serpeggiano e le smodate attrattive dei beni materiali, accresciute, oggi più che mai, col progresso della tecnica.

Per andare incontro alle presenti necessità del popolo cristiano, il Sommo Pontefice, ispirandoSi alle consuetudini secolari della Chiesa, ha annunciato tre avvenimenti della massima importanza, e cioè: un Sinodo Diocesano per l'Urbe, la celebrazione di un Concilio Ecumenico per la Chiesa Universale, e l'aggiornamento del Codice di Diritto Canonico, preceduto dalla prossima promulgazione del Codice di Diritto Orientale.

Per quanto riguarda la celebrazione del Concilio Ecumenico, esso, nel pensiero del Santo Padre, mira non solo alla edificazione del popolo cristiano, ma vuol essere altresì un invito alle Comunità separate per la ricerca dell'unità, a cui tante anime oggi anelano da tutti i punti della terra.

3. - **28 ian.**: *Audientia* Generalis: OR 29 ian.

L'Augusto Pontefice, annunciando la recita dell'*Angelus Domini* ha invitato i presenti, e, naturalmente, tutti i fedeli, ad applicare i tre *Gloria Patri,* — che vengono detti alla fine della triplice invocazione quotidiana a Maria, — secondo le tre intenzioni indicate domenica scorsa da Sua Santità presso il Sepolcro di San Paolo Apostolo; e cioè: il Sinodo Diocesano a Roma; il Concilio Ecumenico; l'aggiornamento della Legislazione Ecclesiastica contenuta nel Codice di Diritto Canonico.

4. - **30 ian.**: *Audientia* Parochorum Urbis, in Monasterio Ss. Ioannis et Pauli congregatorum ad secessum spiritualem peragendum: OR 31 ian.

Proprio per rinvigorire la necessaria e spirituale azione il Santo Padre, or non è molto, incominciò a coltivare una idea che, in forma speciale, riguarda Roma: quella di un Sinodo Diocesano. Egli la confidò, domeni-

ca scorsa, insieme con le altre del Concilio Ecumenico e dell'aggiornamento del Codice di Diritto Canonico, agli Em.mi Signori Cardinali, ed ora la ripresentava ai diletti Parroci, come una egregia iniziativa, un eccellente esercizio dell'ordine pastorale a beneficio della Chiesa.

E' molto vivo nel Santo Padre il ricordo del Sinodo Diocesano da Lui celebrato in Venezia dal 24 al 27 novembre del 1957. I Suoi studi prediletti su San Carlo Borromeo Lo hanno fatto a lungo sostare dinanzi all'opera di legislatore nell'organizzare la vita parrocchiale, compiuta, tra le tantissime altre, dal grande Santo. Molte Diocesi italiane offrono, in proposito, magnifiche tradizioni. Allora, disse tra Sè, sarà senz'altro cosa utile ed opportuna invitare il Clero romano a discutere, a formulare adeguati provvedimenti, a interessarsi sempre più alla propria vita parrocchiale. La decisione è stata immediatamente posta nelle mani del Signore. C'è, completa, la migliore disposizione. Si procederà, dunque, nel nome santo di Dio, che già benedice e sorregge la buona volontà. Quando si ha l'anima aperta, Egli indicherà la sua luce e farà sentire la sua fiamma; ci colmerà della sua grazia. Occorre andare con fiducia verso la Provvidenza, che, toccando gli intelletti, riscalda i cuori, rende fecondi i buoni propositi, rinsalda il senso della disciplina, assicura i più felici risultati.

Come già l'annunzio del Concilio Ecumenico, anche l'intento di celebrare il Sinodo della Diocesi di Roma ha suscitato, nel mondo, vastissima eco: e non pochi sono i consensi per la Chiesa che avanza, ed è senza posa in cammino per il compimento fedele della sua missione.

Al Sinodo — proseguiva il Santo Padre — sarà data accurata preparazione: si procederà a disporre quanto è necessario: i Parroci risponderanno con fede e con alacrità. Essi sanno che il Papa si fida di loro; ed Egli è sicuro, con paterno cuore, di avere a sua volta, completa la loro fiducia. I Religiosi aiuteranno con l'opera loro; le Religiose con le loro preghiere; tutti i fedeli assecondeeranno le iniziative, e vorranno essere degni di questo nuovo dono di Dio e della Chiesa santa.

5. - **31 ian.**: *Audientia* membrorum moderationis centralis Iuventutis Italicae Actionis Catholicae: OR 1 febr.

In riferimento poi alle attese dei giovani, ha fatto cenno al solenne annunzio di Lui fatto nella Basilica di San Paolo dicendo che saranno proprio i giovani, i quali hanno davanti a sé quasi intera la vita, a vedere e godere dei grandi avvenimenti che si succederanno negli annali della Chiesa. Questo annuncio il Papa ha dato con la certezza di chi è in possesso della verità; poichè la Chiesa ha dalla sua parte la sicurezza dell'avvenire, in quanto essa cammina nella luce dello stesso sole di Cristo che da venti secoli illumina le vie della storia umana; e il compito di Chi la governa non è quello di custodirla come un museo, ma di guidarla nel cammino della vita.

6. - **2 febr.**: *Epistula* « A voi » Summi Pontificis ad populum Romanum: OR 21 febr.
Vide: Periodica 120.

10. - **18 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis, quam habuit in Ecclesia S. Ludovici, Francorum Regis, cum primum eam invisit, adstantibus Em.mis Patribus Cardinalibus, Praelatis praeclarisque Viris e Gallica Natione: AAS 143.

Chers fils! Ces premiers mois du grand service, que le ministère pontifical Nous imposa, ont ouvert devant Nos yeux une grande vision: vision de bon travail pastoral au bénéfice du diocèse de Rome, dont le Pape est l'Evêque comme successeur de Saint Pierre, Prince des Apôtres, et au bénéfice de l'Eglise universelle, dont son autorité est le fondement. Veuillez intercéder par votre prière auprès de la Mère de Jésus, notre Mère, pour que ce secours du Seigneur ne Nous manque pas le long du chemin.

14. - **4 mart.**: *Audientia* R. P. Friderici Schwendimann S. J., moderatoris generalis delegati Apostolatus

Orationis, cum P. Angelo Ronco, subsecretario Societatis Iesu: OR 6 mart.

Sua Santità ha manifestato particolare interessamento per quanto concerne il felice successo e le provvide attuazioni del Sinodo Diocesano di Roma; per i lavori preparatori del futuro Concilio Ecumenico; come pure per il movimento di riavvicinare i fratelli separati alla Chiesa; la pace e l'unione dei popoli; e le vocazioni ecclesiastiche nella Chiesa del Silenzio.

16. - **15 mart.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad peregrinatores Venetiarum: OR 16-17 mart.

Innanzitutto, miei diletti figli di Venezia, la fedeltà alla Chiesa, una, santa, cattolica ed apostolica. Gesù istituì non parecchie Chiese, ma una Chiesa sola: che è non la Chiesa Veneziana, o Mediolanense, o Gallicana, o Greca, o Slava dal nome delle singole nazioni: ma una Chiesa apostolica ed universale.

Si: questa è la Chiesa di Roma: vera madre di tutte le genti: splendida nella varietà dei suoi riti, nell'uso delle varie lingue, e secondo gli sviluppi liturgici dei vari tempi e di vari popoli, ma sempre fiamma unica di credenze e di disciplina, di ordine e di sacra organizzazione. E' di Sant'Ambrogio la formula: *Ubi Petrus ibi Ecclesia.* Per i protetti di San Marco, discepolo e figlio di San Pietro — piace ripeterlo — il motto fu applicato da San Pier Damiani molto bene: *Ubi Marcus, ibi Petrus!* Là dove sta la famiglia di San Marco, là vi è la Chiesa. Dunque non divisioni, o suddivisioni. Tutti quanti viviamo sotto il cielo, tutti cattolici ad un modo. Il Divino Fondatore questo intese e questo volle: questo fu il voto estremo nell'ora del sacrificio. O Padre, di questo ti supplico: *ut unum sint.* Il principio della unità di tutte le Chiese fra loro è il vincolo sacro che assicura la perennità, l'eredità di Cristo nei secoli. Tutti insieme uniti al primo apostolo del Signore, secondo il motto del sigillo episcopale d'un gran Vescovo della Chiesa antica: *Cum Petro pugnare et cum Petro regnare.*

18. - **19 mart.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Centrum « Volontari della Sofferenza »: OR 20-21 mart.

Anzitutto desideriamo esprimervi la riconoscenza profonda per il dono, prezioso quant'altri mai, che siete venuti a offrirCi: il dono cioè delle vostre preghiere e delle vostre sofferenze, con cui avete prontamente risposto all'appello da Noi rivolto a tutti i fedeli onde ottenere le divine grazie per il Sinodo dell'Urbe, il Concilio Ecumenico, l'aggiornamento del Codice di Diritto Canonico e la promulgazione di quello per la Chiesa Orientale.

19. - **1 apr.**:Ex *Allocutione* Summi Pontificis Moderatoribus ac Delegatis e Catholicarum Studiorum Universitatum Foederatione, qui Beatissimo Patri obsequii exhibendi causa Romam convenerant: AAS 300-301.

Ut nostis, consilium cepimus multas summi momenti ob causas Oecumenicam Synodum celebrandi. Quae quidem cum Ecclesiae Sanctae Dei, urbis in monte positae, coniunctionis, unitatis, concordiae mirum sui spectaculum praebebit, natura sua invitamento erit disiunctis fratribus, qui christiano nomine decorantur, ut ad universale ovile, cuius ductum et custodiam Christus beatissimo Petro indeflexo voluntatis nutu concredidit, redire possint. Ut tantum inceptum in auspicati felicioris aevi eventum tot post turbines et procellas secundum assequatur effectum, una coniunctis viribus vestram impendite operam, providum suppeditate auxilium, cum palam sincereque fateamur Nos in vestra virtute, in varia scientiae vestrae suppellectile et in vestris precibus valde confidere.

20. - **3 apr.**: *Audientia* membrorum Dioecesani Consilii Romani Actionis Catholicae et Consilii Directivi: OR 5 apr.

Vide: Periodica 127.

21. - **21 apr.**: Ex *Adhortatione* Summi Pontificis ad clerum, qui e tota Venetorum regione Venetias convenerat, in basilica S. Marci sacras exuvias sancti Pii Papae X veneraturus: AAS 379-380.

Tenendo sotto gli occhi le pagine più luminose della storia di tutti i secoli, si può ben ritenere che il Concilio Ecumenico — per il cui annunzio ascoltammo una ispirazione, della cui spontaneità sentimmo, nella umiltà della Nostra anima, come un tocco improvviso e inatteso — stia già preparando, nelle intimità episcopali e sacerdotali, il buon proposito di ciascun ecclesiastico, un desiderio più ansioso di dilatare gli spazi della carità e di rimanere al posto suo con chiarezza di pensiero e con grandezza di cuore.

Preghiamo ed auguriamo che il Concilio rinnovi innanzi tutto lo spettacolo degli Apostoli radunati in Gerusalemme, dopo l'Ascensione di Gesù al Cielo: unanimità di pensiero e di preghiera con Pietro e attorno a Pietro, Pastore degli agnelli e delle pecore: offerta di energie che si ritemprano, che si rinnovano per la ricerca di ciò che potrà meglio corrispondere alle odierne esigenze dell'apostolato.

La figura di S. Pio X, invocato anche lui celeste protettore del Concilio Ecumenico, si stacca dai fatti e dalle circostanze che ai suoi tempi originarono giudizi avventati e interessati, e rende più suadente il richiamo a non cercare vie peregrine per la salvezza dell'uomo e per la difesa dei suoi diritti, e a non immaginare facili divagazioni che possano surrogare ciò che affonda le sue radici nella essenza stessa delle istituzioni più solide, ed ha il valore dell'esperienza secolare. E cioè: in Oriente il riavvicinamento prima, il riaccostamento poi e la riunione perfetta di tanti fratelli separati coll'antica Madre comune: e in Occidente la generosa collaborazione pastorale dei due cleri, sotto lo sguardo e la direzione del Vescovo, che è il Pastore di tutte le pecorelle.

22. - **27 apr.**: *Nuntius Radiophonicus* Summi Pontificis, quo locorum Ordinarii et universi orbis christifideles adhortantur ad impensas supplicationes habendas, per Maium mensem, ob Oecumenicum cogendum Concilium: AAS 314-316.

Venerabiles in Episcopatu Fratres ac dilecti filii e catholico orbe!

Aetate hac nostra — quemadmodum christianae gentes haud semel experiundo compertum habuerunt et habent — Augusta Dei Parens rebus humanis adest praesentior, et, quo magis frigescit caritas, eo vehementius ad pietatem, ad virtutem, ad paenitentiam admissorum provocat filios; atque, dum nefariae pestes undique imminentes ingravescunt, eam persentimus esse clementissimam deprecatricem, quae Divinam Misericordiam pro nobis exoret meritasque culparum poenas avertat. Patronam scilicet habemus, quae plurimum potest apud Divinam Maiestatem, Matrem habemus, quae omnium laborum, quos filii perferunt, pientissime miseretur. Quam ob rem in salutis discrimen se sinit adduci, qui, huius saeculi iactatus procellis, opiferam eius manum arripere renuit.

Est praeterea Maria cum Ecclesia coniunctissima, quippe quae, in Hierosolymitano cenaculo cum Apostolis « perseverans in oratione » (Cfr. *Act. Apost.* 1, 14), adventum Spiritus Sancti sit praestolata, qui sacro Pentecostes die divino illam replevit vigore atque adeo effecit, ut multitudo gentium eidem aggregaretur; quin immo, ut ait Decessor Noster Pius XII, « ipsa fuit, quae validissimis suis precibus impetravit, ut Divini Redemptoris Spiritus, iam in Cruce datus, recens ortae Ecclesiae prodigialibus muneribus Pentecostes die conferretur » (Litt. Encycl. *Mystici Corporis*, A. A. S., 35 [1943], p. 248). Id igitur, quod Ecclesiae propositum est, ac difficultates, quibus urgetur, ad eandem Dei Genetricem pertinere quam maxime quis infitietur? Itaque, qui cum Ecclesia sentit eiusque profectum sincero expetit animo, pro ea Mariae Virgini crebras ac supplices adhibeat preces oportet.

Affirmate ergo profitemur spem plurimam Nos sitam habere in obsecrationibus, quae a fidelibus, amore inflam-

matis Deiparae, fiant. Cum vero per mensem Maium, qui e probatissima consuetudine caelesti est Virgini sacer, peculiares precationes ritusque frequententur religiosi, consilium inivimus universum populum christianum commonendi, ut hoc tempore felicem exitum causae, quae sane maximi momenti est ac ponderis, a Dei Genetrice studeat impetrare. Ut enim iam palam ediximus, Concilium Oecumenicum statuimus cogere, cuius erit, id, quod universae Ecclesiae permagni intersint, pertractare.

Persuasum autem habemus ad tantam rem assequendam minus valere humana quaevis praesidia, plurimum vero posse preces fidelium easque enixas et assiduas. Sacris ergo Pastoribus curae sit, ut greges sibi commissos inducant ad impensas supplicationes habendas per hunc mensem Almae Dei Matri, christianae rei adiutrici potentissimae ac terrae caelique Reginae miserentissimae. Nominatim utriusque ordinis clerus, quem Maria praecipuo complectitur amore, vocari se noverit ad hoc propositum Nostrum per idem tempus magnis et continuis precibus illic commendandum. Idem praestent religiosae mulieres omnes, quae, a rebus abstractae humanis, in coenobiis Christo deserviunt. Populus fidelis hoc mense florifero ad Virginis aras cotidie sistere studeat, ut hac mente eius celebret laudes atque Rosarii petitiones honestissimas nectat in coronam. Si facultas desit templa adeundi, intra domesticos parietes familiae ad eam admoveant preces submissas. Qui morbo conflictantur, dolores suos, quasi acceptissimum sacrificium, offerant, ut hanc amantissimam Matrem propitient. Pueros denique et puellas, qui innocentia nitent et gratia, hortamur, ut huius rei causa, quae Nobis tantopere cordi est, ad eam faciant vota, quae, virginali decore illustris, insontium animarum obsecrationes libentius excipit atque exaudit.

Praesertim vero novendiales supplicationes, quae ante Pentecosten, ubique terrarum fieri solent, quaeque hoc anno eodem mense Maio agentur, studiosiore cum voluntate habeantur, omnesque, ante Deiparae strati altaria, quae Paracleti Sponsa merito appellatur, eiusdem Spiritus

Sancti munera exposcant, ut nova quaedam Pentecoste arrideat christianae familiae.

Huiusmodi ergo quasi precum concentu, qui e tota Ecclesia catholica ad eius personat Solium, exorata, Augusta Caeli Regina votis Nostris faveat spemque cumulet Nostram. Qua bona dum tenemur expectatione, vobis, Venerabiles Fratres, et universis, qui hortationi huic Nostrae volenti respondebunt animo, Benedictionem Apostolicam amantissime in Domino impertimus.

23. - **16 mai.**: *Nuntius* de constitutione Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico: OR 17 mai.

La Santità di Nostro Signore si è benignamente degnata di nominare una Commissione Antipreparatoria per il futuro Concilio Ecumenico.

Tale commissione è così composta:

Presidente: Sua Eminenza Rev.ma il Signor Cardinale Domenico Tardini, Prefetto della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, Segretario di Stato di Sua Santità.

Membri:

— Sua Eccellenza Rev.ma Monsignor Giusepe Ferretto, Arcivescovo tit. di Sardica, Assessore della Sacra Congregazione Concistoriale;

— Sua Eccellenza Rev.ma Monsignor Pietro Sigismondi, Arcivescovo tit. di Neapoli di Pisidia, Segretario della Sacra Congregazione *de Propaganda Fide;*

— Sua Eccellenza Rev.ma Monsignor Antonio Samoré, Arcivescovo tit. di Tirnovo, Segretario della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari;

— Rev.mo Padre Acacio Coussa, dei Basiliani Aleppini, Assessore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale;

— Sua Eccellenza Rev.ma Monsignor Cesare Zerba, Segretario della Sacra Congregazione della Disciplina dei Sacramenti;

— Sua Eccellenza Rev.ma Monsignor Pietro Palazzini, Segretario della Sacra Congregazione del Concilio;

— Rev.mo Padre Arcadio Larraona, dei Claretiani, Segretario della Sacra Congregazione dei Religiosi;

— Sua Eccellenza Rev.ma Monsignor Dino Staffa, Segretario della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi;

— Sua Eccellenza Rev.ma Monsignor Enrico Dante, Pro-Segretario della Sacra Congregazione dei Riti;

— Rev.mo Padre Paolo Philippe, dei Predicatori, Commissario della Suprema Sacra Congregazione del Sant'Offizio.

Segretario: Ill.mo e Rev.mo Monsignor Pericle Felici, Prelato Uditore del Tribunale della Sacra Romana Rota.

La predetta Commissione ha il compito di:

— prendere gli opportuni contatti con l'Episcopato Cattolico delle varie Nazioni per averne consigli e suggerimenti;

— raccogliere le proposte formulate dai Sacri Dicasteri della Curia Romana;

— tracciare le linee generali degli argomenti da trattare nel Concilio, uditi anche i pareri delle facoltà teologiche e canoniche delle Università Cattoliche;

— suggerire la composizione dei diversi Organi (Commissioni, Segretariati, ecc.), i quali dovranno poi curare la preparazione prossima dei lavori, che il Concilio sarà chiamato a svolgere.

24. - **17 mai.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Em.mos Patres, Exc.mos Praesules et christifideles, qui die Dominica Pentecostes in Basilica Vaticana interfuerunt sollemnibus Vesperis a Beatissimo Patre celebratis: AAS 420.

Sulla fine di gennaio, nella festa della Conversione di San Paolo annunciavamo il progetto della celebrazione di un *Concilium oecumenicum*, che dovrebbe convocare, come a Pentecoste novella, innanzitutto tutti i Vescovi della Chiesa, aventi comunione con la Sede Aposto-

lica. Adunanza questa di immensa e profonda preparazione, riservata, con l'aiuto del Signore, a grande santificazione del clero, ad edificazione del popolo cristiano, e a spettacolo incoraggiante per quanti si elevano a pensieri di fede e di pace.

Ebbene eccoci, in data odierna 17 maggio 1959, festa di Pentecoste, al primo atto di questo straordinario impegno, cioè l'annuncio della Commissione Antipreparatoria del grande avvenimento. E' una prima introduzione, cioè l'inizio di una serie di atti e di costituzioni, che suppongono preparazione di ricerche e di studi, a cui potranno dare voce tutte le lingue della terra. E' ben naturale che per tutto ciò occorrano lunghi mesi di diffusa elaborazione.

Avremo modo e tempo di tornare sopra questo argomento, riservato a commuovere cielo e terra.

25. - **2 iun.**: *Audientia* Rectorum 16 Seminariorum Regionalium Italiae: OR 3 iun.

Tra i mezzi che, indubbiamente, arrecheranno nuovi ausili di consolidamento e di sicura efficienza saranno: il Sinodo di Roma, il cui svolgimento si annuncia apportatore di felici risultati, potendo diventare buon esempio da imitare per altre Diocesi Italiane; il Concilio Ecumenico, il quale sicuramente susciterà un contributo notevole e forte a tutto un risveglio di attività in gloria della Chiesa, e, per ciò stesso, in edificazione ed accentuato vantaggio delle anime.

26. - **5 iun.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis occasione « Horae Sanctae » in basilica Vaticana occurrente festo SS.mi Cordis Iesu: OR 7 iun.

Anzitutto intendiamo pregare perchè i doni del Divino Spirito aleggino sui lavori di preparazione del Concilio Ecumenico. Si tratta di un grande avvenimento. « Non guardi il Signore ai nostri peccati, ma alla fede della sua Chiesa, e si degni di pacificarla e di riunirla se-

condo la sua volontà »: perchè la sua struttura interiore prenda novello vigore, e tutte le pecorelle odano la voce del Pastore, lo seguano, e si faccia quell'unico ovile, che il Cuore di Gesù ardentemente anela.

Preghiamo per il Sinodo Diocesano di Roma, dal quale, con la volonterosa collaborazione del clero e dei fedeli di questa alma Città, tanti frutti di spirituale rinnovamento possono e debbono maturare, a maggior gloria del Nome Santissimo di Gesù che da Roma, per sua volontà, si è diffuso nel mondo.

27. - **7 iun.**: Ex *Nuntio* Summi Pontificis filiis operariorum occasione consecrationis B. Mariae Virg.: OR 8-9 iun.

Amiamo esprimervi compiacimento e gratitudine per le fervide preghiere che innalzate al Signore, con l'intercessione della sua Santissima Madre, per i bisogni della Chiesa e, in modo particolare, per l'adeguata preparazione e la fruttuosa celebrazione del Sinodo Diocesano di Roma e dell'annunziato Concilio Ecumenico.

28. - **14 iun.**: *Audientia* Pontificii Collegii Graecorum: OR 17 iun.

